11805 bb 47.

ENCHIRIDION ORATORIVM.

A

GVLIELMO PEMBELO AVLÆ *MAGDALENENSIS* non ita pridem Alumno facundissimè pio concinnatum.

Δεινὸς εἰπεῖν τε καὶ πρᾶξαι. *Appian. Alex lib. 2.*

Non tam facilè loquor, quàm quod locutus sum præsto. Liv. l. 2. d. 1.

In Oratore non tantùm eximiam dicendi facultatem sed & omnes animi virtutes exigimus. Quintil. l. 1.

Pemble (Wm)
A

OXONIÆ
Apud *Iohannem Lichfield* Academiæ Typographum,
pro *Edvardo Forrest*. A. D. 1633.

Lectori

ALITER Censor loqui debet, aliter Rhetor: ille veritatem prædicat haud facundiæ illecebris fucatam: hic facundiam veritatis quasi fuco animatam gestit venditasse. At frustra sint suæ potius favæ, quam vtilitati nostræ (Lector benevole) consultum ituri. Apage ab ijs vel nomen Oratorum, qui blandientes quasdam insidias auribus faciunt, & iuvenibus floscvlis Rhetorices lascivientia præcepta, dicam, obtrudunt, an ludibria? Hinc vigorem etenim obtinuit, & vsu venit facunda ista adulatio, quâ auditores pollitissimis pelliciebant facetijs, adeo vt [b] nonnemo scisitari, immo statuere serio ausus sit, Rhetoricam artem benè dicendi minus congruè audire, quàm placendi; cum idcirco bene dicunt omnes, vt placeant. Qui enim ideo limam acriter intendit, vt oratio polita potius, quam grata habeatur, fine frustratus abeat etiam consecutus. Quid ni igitur audacter concluderet contra Quintilianum scopum Rhetorices in quem collimant Oratores non bene dicere asserendum, sed placere, metam vero ad quam anhelant omnes paucos attigisse, quoniam inter artes [c] recensenda venit Rhetorica. At age bone vir cur adeo insolenter antiquitatis verberas reverentiam! Parentibus artium in earundem comitijs ius suffragandi impune competat. Rhetoris forsan placere finis est, Rhetorices vero benè dicere. Medici ideo sanant vt lucrentur numquid ergo Medicina, (quæ etiam inter [c] numeranda venit) ars lucrandi sanari debeat non sanandi. Cæsius sum Rhetoricam maiestatis pondus desiderare, non lenociniorum petulantiam quæ eleganter fallit, vt feliciter persuadeat. De [c] magnis Oratoribus Crasso & Antonio apud vulgus percrebuit fa-

Agellius lib. 1. cap. 6.

[b] Scaliger Poet. Histor. c. 1.

[c] Cicer. de Or.

ma alterum non doctissimum fuisse, alterum indoctum. Ars enim in dicendo vim occultam suggerit, & hoc ipso placent Oratores quod prosunt. In fundamentis scientiæ non nitorem aut speciosa artificij ludicra, sed verum robur laudamus; ipsa etiam facundiæ fundamenta sine facundiâ iacta videantur, ne masculæ Rhetoricæ vires in dicendi veneribus periclitentur. Magis certè necessaria, etsi minus forsan grata cluet institutio eloquentiæ, quàm ostentatio. Grata est in perorando simplicitas non artis inops, sed avara, quæ convincit magis quàm placet. Apri instar artem haud tam nescire videretur Orator, quàm contemnere. Adde quod Rhetorica non veteranos, Sed Logicæ classis tyrones instituit. Nam affine quoddam habent (teste Aristotele in limine τέχνης ῥητορικῆς) Logica & Rhetorica H' Ρητορικὴ ἐστιν ἀντίστροφος τῇ διαλεκτικῇ. & in verbis paulo infra subsertis neutramq; esse dicit ἐπιστήμας ἀφωρισμένης scientia abstractæ (pace Riccoboni) potius quam definitæ. Quintiliani consilium Rhetori æque quadrat ac præceptori vires suas temperet, nec rudia oneret ingenia, sed ad intellectum auditoris descendat, vt ille inferiores ramos prius apprehendendo ad cacumina evadat. Habes præ manibus (bone Lector) Pembelum non ex Canensi cateruâ rhetorculum, sed oratorem sed virũ bonum, numquid apud nos tautologiâ laborat elogiũ! O nou nostri sæculi Oratorẽ! qualem verum oratorem indicando optare poterat Quintilianus, non indigitare. Neq; enim esse Oratorem nisi bonum virum indico, & fieri etiamsi posset nolo. Sola virtus eloquentiæ est. Si ad ipsa etiam Rhetoricæ incunabula respexeris, idem honesti iuxta cluebant, ac eloquentes donec post ea studium scindebat inertia, & inter linguæ vitæq; probitatem perenne sanxit divortium nostræ ætatis libido. Iacet enim & concidit masculæ veterum Rhetorica, vbi morum elegantia quædam, & linguæ facundia vnam eandemq; consonabant eloquentiam. Cæsar cum primam designabat adolescentiam, non facilius loquebatur, quam quod loquutus erat præstabat. [i] ὁ δὲ Καῖσαρ ἔτι νέος ὢν τὸν τρόπον εἰς ταὐτὸν τῷ λόγῳ ἤσκει. Macte estote iuvenes, & [k] Metelli similes dignitate vitæ peroretis, vt in vobis spirare posset facunda virtus, & Rhetorices iamdudum sopitæ æternum vivat is elogium. Valete.

d Vide Anthorem Dialogi de causis corrupt. Eloq.

e Aristoteles Ret. lib. 1.

f Quintil. l. 1. c. 2.

g Vide Turneb. Advers. lib. 3. c. 9.

h Quintil. l. 2.

i Appian. Alex. de bello civili, l. 2.

k Agellius lib. 1. c. 6.

CAP. I.

Definitio & diuisio Rhetoricæ.

RHETORICA est ars de quavis materia ornate & copiosè disserendi ad popularem notitiam & persuasionem. Constat definitio ex

1 *Genere*, quod est ars seu facultas Logicæ quidem vicina eique velut agnata particula appellatur à quibusdam magna & ampla pars civilis scientiæ, & nō immerito cum Rhetorica seu eloquentia artificiosa nihil aliud sit diffiniente Cicerone in part. Orat. quam copiosè loquens sapientia.

2 *Officio*, copiosè & ornate dicere vel dicere apposite ad persuasionem.

3 *Fine*, docere populariter & persuadere dictione vt medici officium est curare apposite ad sanationem, Finis autem sanare: vel ita potius, Finis Rhetoricæ internus & intermedius est Oratio sive mente concepta siue pronunciata. Externus autem & vltimus finis, est popularis instructio mentis & concitatio affectuum & ex his orta persuasio auditoris ad aliquid credendum aut agendum.

4 *Subiecto*: seu materia in qua versatur: ea vero est

Communis, viz Res, quotquot sunt intra vel extra naturam, omnes.

Propria, Res practicæ.

Maxime propria, quæstiones finitæ in tribus causarum generibus, Deliberativo, Demonstratiuo, & judiciali.

Partes, in quas divisa est Rhetorica, quatuor enumerantur.

1 *Inventio*, quæ est excogitatio argumentorum verorum aut verisimilium quæ causam probabilem reddant.

2 *Dispositio*, quæ est rerum inventarum in ordinem distributio ostendens quid quibus in locis sit collocandū.

3 *Elocutio*, quæ est idoneorum verborum & sententiarum ad inventionem accommodatio.

4 *Pronuntiatio*, quæ est ex rerum & verborum dignitate vocis & corporis in vultu gestuq; moderatio cum venustate.

His additur à nonnullis

Memoria, viz firma & fida rerum omnium in mente custodia quæ tamen non Rhetoricæ magis est quam aliarum omnium artium & scientiarum propria. In his omnibus, qui perfectus esse Orator velit, ei vt natura opus est qua invita nihil dicet facietue ita quam maxime Arti, Imitationi & exercitationi incumbendum est.

CAP. 2.

Inventio generalis in themate simplici.

AGgrediamur jam ordine partes hasce sigillatim pertractare & primo quidem loco agamus de *Inventione*. quam pro diversitate materiæ Rhetorices bifariam dispertiemus, in generalem omni themati accommodatam, & specialem triplici causarum generi applicatam. Antiqui quidem Rhetores fere omnes posteriorem hanc solummodo in suis præceptionibus tradiderunt, habita nimirum suorum temporum ratione in quibus tota penè vis hujus artis in lites forenses exerebatur: at recentiores istam artis mutilationem resarcire conati sunt, adjecta Generaliori circa omne propositum thema inventione, ex ipsis Logicæ fontibus derivata. Illorum itaq; insistentes vestigiis Tabellam veluti quandam omnium thematum & locorum ex quibus tractanda sunt delineabimus, subjuncturi postea vtilissima antiquorum præcepta de tribus causarum generibus tradita. Est itaque

Thema

Thema, Quæstio, Propositum seu materia siue subjectum (idem hæc omnia sonant) de quo oratio instituitur

vel { *Simplex*, / *Coniunctum.*

Simplex thema est res vnica vnico termino significata quæ oratori declaranda est per omnia argumenta *Explicantia*, non tantum docendi sed etiam laudandi & vituperandi gratia, estq; duplicis generis

1 Perfectum quod omnibus Logicis artificiis perfecte declarari potest, atq; omnium rerum Genera & Species. atque hoc est.

1 *Substantiale* quod tamen rarius ab oratore tractatur. loci inventionis sunt.

1 Nominis notatio & Etymologia si sit elegans, illustratio & distinctio si ambiguum sit & obscurũ.
2 Descriptio, ex genere & popularibus differentiis.
3 Divisio in partes subjectivas si genus sit.
4 Divisio in partes essentiales, siue genus sit siue species earumq; tractatio.
5 Accidentia propria & effecta, in quibus præcipue dominari debet oratio.
6 Cognata & amica, diversa & pugnantia.

2 *Accidentale* cujsmodi frequentius & principalius oratori exponendum occurrit & maxime quidem Qualitates, Actiones, & Passiones rarissime vero Quantitates loci sunt.

1 Explicatio nominis.

2 Definitio rei quæ accurata & exacta raro vsurpatur apud auditores populares sed potius descriptio, præsertim si res vel nomen rei non sit vsque adeo cognitum, tum poni potest definitio descriptiva vel in initio orationis tanquam brevis summa

summa rerum postea latius dicendarum, vel in fine vt recapitulatio dictorum.

3 Genus populariter indicetur.

4 Diuisio quæ vtiliter adhibetur cum generalissimum quid tractatur, vt virtus, sensus.

5 Subjectum, vel generalius vt homo virtutis, vel particulare, vt virgus in Catone forticudo in Alexandro) hic locus subjectorum particularium seu individuorum idem est cum loco exemplorum quæ infra post propria & effecta recte collocari possunt.

6 Objectum, cujus maximus vsus in Actionibus & Qualitatibus exponendis, vt virtutum, &c

7 Causæ efficientes & finales præsertim in actionibus diligenter attendendæ, & inter efficientes impulsivæ & instrumentales.

8. Propria & Effecta, in quo loco maxime suas vires Rhetor exerit quia rem valde illustrant & ob oculos ponunt.

9 Cognata præcipue paria & similia atque diversa imparia & dissimilia.

2 *Imperfectum*, quod Logici adeoq; Rhetorici artificij non ita capax est. Hoc quoq; totidem est genera quot perfectum viz. vel { *Substantiale* / *Accidentale*.

Thema substantiale imperfectum est triplex.

1 *Individuale* cuius tractatio dicitur descriptio, in qua multum dominatur vis eloquentiæ. Sunt autem *Individua* duplicia.

1 *Personalia*,

1 *Personalia.* Personæ quarum descriptio frequens occurrit in Laudationibus gratulationibus, orationibus funebribus cæterisq; id genus siue commendatitijs siue vitupetorijs orationibus, habitis in honorem aut dedecus hominum particularium. Loci sunt

1 Nomen, si sit memorabile.

2 Causæ remotæ series familiæ, maiores & genus si fuerit insigne.

3 Causæ propriores, Natiuitas & parentes.

4 Circumstantiæ Loci { Patriæ } & temporis, vbi & { Vrbis } quando natus est.

5 Antecedentia quæ nativitatem memorabiliter præcesserunt, vt signa vaticinia, &c.

6 Connexa quæ simul memorabiliter acciderunt, vt in natalibus Alexandri incendium templi Ephesini.

7 Partitio & distinctio vitæ in gradus ætatis, quamdiu vixit & in singulis quæ fuerint, 1. Qualitates & accidentia, 2 Actiones & effecta; cogitata, dicta, facta, 3 Passiones, bonæ, boni eventus, malæ, infortunia ἀνωχήματα. vt in ætate.

- Puerili
  - Corporis figura firmitas membrorum, &c.
  - Animi inclinationes, igniculi semina & indicia virtutum aut vitiorum.
  - Educatio & institutio a parentibus & præceptoribus. quorum dexteritas & fidelitas in medium proferenda est.
  - Facta, dicta & eventa inopinata si qua fuerint notatu digna.
- Pubere & iuvenili
  - Statura brevis, procera aut iusta, robur & proportio membrorum præcipue faciei valetudo.
  - Animi virtutes intellectuales in omni disciplinæ genere, & morales, eæ præci-

pue quæ juvenem ornant vt temperantia, Castitas modestia, & fortitudo.

Effecta, vt diligentia in studijs, obedietia erga præfectos exercitia varij generis dicta & facta memorabilia, præmia & dignitates virtutibus acquisitæ bona fortunæ & divitiæ.

Virili

Status vitæ & vocatio & officium susceptum aut in quod electus est et quomodo quibusq; fautoribus.

Virtutes, præcipue prudentia æqua animi moderatio in prosperis et adversis rebus.

Consilia dicta facta, honores præmia dignitates casus inopinati.

8 *Cognata*, ex natura, fratres, sorores, liberi, consanguinei, &c. ex instituto sodales, amici, Coniux; externa coetanei, alii personæ huic nostræ similes per Comparationem.

9. *Pugnantia*, inimici, invidi, æmuli, morbi et mors, in qua declaranda sunt,

1. Circumstantiæ Loci & temporis.

2. Antecedentia, vt signa, prodigia.

3 Connexa, quid vel ipse egerit aut dixerit in aut circa agonem, vel quid alibi eodem tempore acciderit.

4 Consequentia, exegitiæ, Sepulturæ Luctus funebris monumentum. Casus eventus et mutationes in Ecclesia et republica si fuerit persona publica.

2 *Non personalia*, vel

Inanimata vt corpora naturalia vitæ expertia loci præcipue sunt a

partibus

1 Partibus.
2 Accidentibus externis proprietatibus et effectis.
3 Cognatis, et comparatione cum similibus.

Animata planta, vt Quercus, Dodonea, animalia vt Bucephalus. Loci sunt

1 Notatio nominis.
2 Descriptio si res sit ignotior.
3 Causæ efficientes.
4 Accidentia sensibilia et singularia in quibus præcipua esse debet oratoris cura.
5 Partes.
6 Cognata et (interdum) Diversa vt mors Bucephali et mortis consequentia, honores et sepulturæ et civitas monumenti loco extructa.

2 *Partiale* cum pars aliqua tractatur, essentialis vel Integralis, Homogenea vel Heterogenea, quod primo loco considerandum est. Omnium enim partium non est eadem tractatio plurimarum vero ita se habet.

1 Brevis adumbratio totius eiusq; in partes suas divisio, donec ad naturam perveniatur.
2 Notatio nominis in vna aut altera lingua principali:
3 Partes illius partes si quas habet.
4 Accidentia, illius vt temperamentum, Qualitates sensiles: figura, Quantitas, &c.
5 Cognata et connexa, quoad situm, positumq; et partes vicinas.
6 Fines, vsus et effecta, qui locus præcipuus est et locupletissimus.
7 Diversa et pugnantia.

3 *Collectivum*, vel

Inordinatum et fortuitum, vt Rudera vrbis Troiæ Babilonyæ, &c. Loci precipue

1 Partes.
2 Causæ miserandæ vastitatis.
3 Accidentia, deformis et luctuosa rerum facies, &c.

4 Cognata, et conseq.

Ordinatum, vel naturale, vt mundus, vel artificiale et ex instituto, vt hortus, vrbs, domus, exercitus, Civitas, Regnum. Loci sunt

1 Explicatio nominis
2 Partes materiales omnes ex quib. fit et constat.
3 Forma accidentalis viz. ordo vnio et dispositio inter se illius ordinis causæ efficientes.
4 Accidentia et proprietates.
5 Cognata et diversa.

Sic de themate imperfecto substantiali, sequitur

Accidentale, cum accidens aliquod imperfectum oratorie tractandum est, idq; vel

1 Absolutum, vt Quantitates, Qualitates, Actiones, passiones: nempe Accidens.

1 *Individuale*, vt statura Goliathi, aut Og. Fortitudo Alexandri castitas Ioseph, &c. Loci

1 Subiecti explicatio
2 Causæ efficientes istius accidentis
3 Proprietates et effecta
4 Cognata et pugnantia.

2 *Partiale* cum pars accidentis explicatur, vt discursus pars Logicæ, delectus rerum prima pars prudentiæ. Loci

1 Totius explicatio.
2 Requisita et proprietates istius partis
3 Effecta.
4 Cognata et diversa.

3 Concretum vt prudens, doctus consiliarius, modus tractandi est.

1 Resolutio concreti in abstractum et abstracti tractatio et applicatio ad concretum: vt qui de prudente dicturus est explicet naturam prudentiæ.
2 Descriptio Concreti.
3 Proprietates ejus et effecta.

4 Cog-

4 Cognata & contraria.

4 *Collectivum*, & aggregatum,

ex
- 1 Multis Qualitatibus, vt Philosophia ex omnibus disciplinis eruditio ex multis habitibus: loci explicationis.
  - 1 Nominis declaratio.
  - 2 Divisio in partes ex quibus fit.
  - 3 Causa formalis vnionis istarum qualitatum.
  - 4 Causæ efficientes tum Inventionis tum Acquisitionis.
  - 5 Subjecta Propria, Effecta, Cognata & contraria.
- 2 Multis actionibus & passionibus, vna enim aliqua Actio aut passio nuda & simplex nimis est plerumque angusta & sterilis dicendi seges. Quæ vero ex multis aggregantur ampliorem orationis materiam suppeditant hujusmodi themata sunt

vel
- *Generalia* & indefinita vt bellum, expugnatio vrbis, tempestas tumultus, seditio, &c. horum tractatio facile instituitur ex iisdem fere locis vnde collectiva ex qualitatibus & particularia mox subjicienda.
- *Particularia*, & circumstantiis loci temporis et personarum definita, quales sunt omnes pæne materiæ historiæ, vt violatio Lucretiæ, Duellum Davidis et Goliah, Horatiorum & Curiatiorum, passio Christi prælium Cannense, &c. Loci
  - 1 Subjectum actionum & passionum.
  - 2 Objectum.
  - 3 Causæ impulsivæ, internæ, externæ, itemque occasio.
  - 4 Instrumenta causæ sociæ ministræ et adjuvantes.
  - 5 Partitio actionis et passionis in gradus et partes ejus.
  - 6 Circumstantiæ, Connexa, Effecta, et Consequentia, Cognata, et diversa. Harum

particulariū actionum descriptio si luculentior sit et plenior dicitur *Hypotypoſis* quasi viva et evidens facti imago et pictura ob oculos posita, sin minus clara fuerit dicitur *Narratio*, quæ ex iisdem locis oratori instituenda est, quod si etiam actio aut passio aliqua vna et simplex tractanda sit [vt in Adamo Esus fructus interdicti] absolvi potest per eosdem locos.

1 Abstracta

Universalis vt conjugium, amicitia, sacramentum, tempus, &c. Loci

1 Nominis declaratio.
2 Genus populariter datum.
3 Subjectum, relatum & correlatum, cum proprijs eorum requisitis, et accidentibus.
4 Fundamentum seu causa efficiens relationis proxima & remota.
5 Efficientes instrumentales & adjuvantes vt προξενηταὶ conjugij.
6 Terminus seu finis principalis et minus principalis.
7 Antecedentia istam relationem, si qua sunt, vt sponsalia, &c. Vt Proprietates ejus & effecta.
8 Cognata & Opposita.

Particularis vt conjugium Iacobi & Rebecca, Fœdus Samniticum & Numantinum. Amicitia Pyladis et Orestis. Loci

1 Subjectum vtrumque.
2 Causæ impulsivæ.
3 Circumstantiæ loci & temporis.
4 Finis.
5 Antecedentia, connexa, Effecta, cognata & Opposita.

2 *Concreta*, vt rex pater magistratus minister verbi

2 Relativū, est autē relatio duplex vel

verbi: tractantur tum per resolutionem in abstractum & applicationem ad concretum tum per locos reliquos supra datos. Similiter etiam vt relata abstracta, tractantur quædam occultiora relata concreta vt respublicæ, regnum, Ecclesia.

3 *Imago* rei: eaq; duplex

1 Naturalis vt Iris facies in speculo, &c. Loci sunt
- 1 Notatio nominis.
- 2 Objectum eius est imago ejusq; explicatio
- 3 Causæ efficientes representationis istius,
- 4 Proprietates istius imaginis, Effecta et cõsequentia.
- 5 Cognata &c.

2 Ficta vt
- 1 Fabula; Fabulosa autem res tractatur ad similitudinem veri thematis et ex iisdem locis vtrinque argumenta petuntur.
- 2 Ethopœia mimesis, imitatio quæ personæ alicujus affectum et ex affectu sermonem, aut mores, aut mores et effectum exprimit. Cujusmodi orationes præcipue in Tragœdiis & Comœdiis dominantur, vt quid Hecuba dictura eversa Troia quid facturus Achilles occiso Patroclo. Quid Niobe perditis liberis, modus tractandi.
  - 1 Per subjecti, cujus affectum describere volumus, expositionem.
  - 2 Per partes, singulos affectus ordine exprimendo, prout nos ederemus in casu consimili, in hoc themate principem locum habent argumenta amplificantia.
- 3 Idolopœia & Prosopopœia cum personæ mortuæ aut mutæ affectim finguntur, vel cum et personam, et res et affectus fingimus tractatio eadem est cum Ethopœia.

4 *Privatio rei*, vt mors, cœcitas, tenebræ, &c, Loci sunt
- 1 Notatio nominis.

2 Declaratio

2 Declaratio subjecti et habitus cui opponitur.

3 Causæ efficientes.

4 Effecta consequentia et cognata.

Hoc modo tractantur relatiue opposita vt divortium, orbitas.

Et hactenus tractatio thematis simplicis tum perfecti tũ imperfecti de cujus vniverso genere, illud amplius notandum est quod explicatio illius instituitur interdum separata per se interdum conjuncta et comparata cum alijs: Substantia enim cum Substantia; Persona cum Persona; Accidens cum Accidente confertur, estqué elegans et ampla orationis materia.

CAP. 3.

Inventio Generalis in Themate Coniuncto.

SEquitur jam primo loco Thema Conjunctum seu Complexum quod tractatur per argumenta probantia veritatem aut refutantia falsitatem ipsius. Hujusmodi Thema bifariam dividitur in

1 Theoreticum et magis speculativum cum quæritur an aliquid sit verum aut falsum. Estq; duplex.

1 Perfectum quod pro subjecto et prædicato habet thema simplex perfectum: cũjusmodi sunt multæ Quæstiones Physicæ, Metaphysicæ, Logicæ, Ethicæ, Theologicæ, &c. vt an Angeli sint corporei? An Logica sit ars? Avarus sit deterior prodigo, &c. Horum thematum tractatio oratoria sic instituitur.

1 Termini ipsi simplices viz subjectum et prædicatum conclusionis vel tacite vel aperte explicantur, et per omnes locos inventionis deducantur. Deinde et natura terminorum ita præcognita et intellecta eliciantur argumenta accommodatissima. Hic modus inveniendi medios terminos expeditissimus et certissimus est, vt ex fontibus explicationis probationis argumenta hauriantur.

2 Pro-

1 Proferantur argumenta. *Artificialia* omnia tum neceſſaria tum probabilia, petita ex locis.

Cauſæ efficientis.

Effectorum et accidentium propriorum ſubiecti et prædicati.

Antecedentium Conſeq. Connex. circumſtantiar.

Cognatorum præcipue ſimilitudinum perſpicuarum & aptarum, & parium.

Diverſorum a maiori vel minori

Oppoſitorum & pugnantium cum prædicato vel ſubiecto.

3 Proponantur argumenta inartificialia ex teſtimonijs dei ſenſuum, Interiorum & conſcientiæ vel exteriorum, &c. atq; etiam authorum quorum ſententiæ graves allegari poſſunt parce & cum delectu.

4 Omnia accommodentur ad circumſtantias temporis loci & perſonarum.

5 Argumenta adverſariorum, ſtrophæ & ſophiſmata quibus imperitis fucum facere conantur. Refutantur perſpicue & neruoſe, ſed ſine Ironijs, Invectivis & exclamationibus auditori bono perito & modeſto odioſis.

Cum argumenta amplificantia vſurpantur multum valent hic amplificationes quibus parcius vtendum eſt in neceſſarijs.

2 *Imperfectum* quod pro ſubiecto & prædicato habet themata ſimplicia, Imperfecta, quorum genera ſupra tradita ſunt, huiuſmodi ſunt plurimæ quæſtiones in omnibus diſciplinis, verum inventio diſpoſitio & tota tractatio non differt a tractatione thematum ſimplicium & coniunctorum perfectorum ſed maxime in hoc genere eminet *Thema ſingulare* cuius partes ſunt ſingulares & indiuiduæ, vt an Petrus fuerit Romæ, vbi poſt explicationem brevem individuorum, Maxime dominantur teſtimonia & argumenta probabilia ab Individuorum accidentibus effectis circumſtantijs, antecedentibus connexis & conſeq.

2 *Practicum* cujusmodi thema tractatur in duobus Causarum generibus Iudiciali & deliberativo, est q; vel

1 Generalius cum quæritur an aliquid sit factum, sive an hic aut ille hoc aut illud fecerit vt an Roscius occidit patrem suum [status est coniecturalis]

Loci { ab { 1 Artificialia argumenta.
2 Inartificialia à testimonijs tabulis rumoribus confessione propria, Quæstionibus

1 Effectis personæ & vita contracta.
2 Causis impulsivis & effectibus personæ & voluntate.
3 Causis instrumentalibus socijs & adjuvantibus sive a facultate.
4 Causa finali sc. commodis adeptis & incommodis declinatis.
5 Circumstantijs Loci & temporis.
6 Connexis antecedentibus Conseq. & signis.

2 Specialius in tempore

Præterito cum quæritur

an { Aliquid sit iuste vel iniuste honeste vel inhoneste factum? [status Qualitatis]
Hoc vel alio virtutis aut vitij nomine factum appellandum sit [status definitionis]
Magna aut parva sit facti iustitia vel iniustitia: & an aliud sit justius vel injustius [status quantitatis]

In his omnibus Loci generales sunt.

1 A proprietatibus facti ejus qui fecit, & obiecti circa quod versatur.

2 A causis efficientibus, effectis, similibus & exemplis.

3 A circumstantijs loci & temporis.

Futuro, vt thema συμβουλευτικὸν δημηγορικὸν ἐκκλησιαστικὸν, Consulterium seu Concionale & Senatorium (quoniam apud Græcos in concione Romani in senatu habebantur) huiusmodi sunt omnes quæstiones in genere deliberativo cum quæritur an aliquid faciendum sit. Quæritur.

1 *Absolute* an consultum sit aliquid fieri, quid quomodo quibus medijs sit agendum? An sit facile vel difficile vt an philosopho ducenda sit vxor? An liceat tyrannum occidere? an Carthago sit delenda? &c.

Quæritur autē hoc

Loci sunt

1 Consideratio subiecti & prædicati in quæstione, nec non obiecti cui & pro quo oratio instituitur.

2 Proprietates rei in deliberationem cadentis, vel communes, *Vtilitas*, *Honestas*, *Facilitas*, vel speciales ex particulari ista, de qua deliberatur actione promanentes.

3 Accidentia obiecti circa quod res versatur.

4 Circumstantiæ loci & temporis.

5 Antecedentia, connexa consequentia, Eventus scil. honesti vel ignominiosi qui inde possunt existere.

6 Cognata & exempla quæ principem fere in consultatione locum obtinent, ita vt historia sit oratori plane cognitu necessaria.

2 Comparate cum quæritur a duobus vel pluribus vtrum potius faciendum sit, vtrum sit melius & præstantius? An [a] Eloquentia præstet virtuti militari? An vita Theoretica sit melior practica, &c. tractatur ex locis hisce,

1 Præcognitione naturæ vtriusq; illius rei quæ in consultationem venit.

2 Notitia regularum 1 Comparationis bonorum in [c] Logicis & [d] alibi traditorum. 2 delectus per prudentiam habendi de quo in [e] Ethicis præcipitur.

3 Sociè, quando cum alijs consultamus, multiq; vota & sententias conferunt. Tractatio non

[a] Cic. pro Murena.
[b] Max. Tyr. λογ. 8.
[c] Reck. Log. l. 3. c. 1.
[d] Art. Rhet. l. 1. c. 7.
[e] Reck. Syst. Ethic. l. 1. c. 3. p. 111.

differt a prioribus tantum oratori cogitandum hic est, vt

1 Si primo loco dicat sententiam, brevia & nervosa argumenta efferat in quibus omnes possunt acquiescere.

2 Si secundo vt expositio suo aliorum consilia refutet sed omnia agat breviter ne prolixitate tempus alijs odiose præripiat.

CAP. 4.

Inventio generalis in Amplificationibus.

HVc vsq; de omni themate & simplici & coniuncto Rhetorice tractando egimus quia vero oratoris officium est non tantum explicare naturam thematis simplicis & probare veritatem coniuncti argumentis vtrinq; clarissimis inde productis, sed etiam amplificare augere argumenta speciosissimoq; ornatu vestita in medium proferre: proximum est vt locos amplificationum post locos explicationis & probationis subijciamus, mira siquidem hinc oritur vtilitas, atq; tum oratori, tum auditori gratia; cum amplificationes 1. Retineant auditorũ cogitationes, & faciunt vt vna re diutius immorentur. 2 Afferunt lumen explicationibus & probationib. 3 ideniq; affectus valide mouent, memoriæ iuvant animosq; auditorũ delectant. Hoc itaq; primũ notetur omnino argumenta amplificantia ex ijsdem sumi locis e quibus petuntur explicantia aut probantia, hoc tantum interest quod alij loci alijs copiosiorem materiam dicendi suppeditant: vt apparebit in diversis amplificationum speciebus quæ sunt:

1. Extensio dilatatio expolitio ἐξεργασία viz. argumenti alicuius explicantis aut probantis nervosioris & magis efficacis latior & amplior diductio. Sumitur ex his præcipue locis.

1. Generis per translationem hypothesis ad thesin

ſin cum ab individuo vel ſpecie ſingulari ad vniverſale genus aſcendimus, vel quando digredimur ad locum communem vt Cic. pro Archia ab eruditione Archiæ ad locum communem de ſtudijs doctrinæ excurrit vtilis eſt methodus in themate ſingulari ſterili & infæcundo, cavendum alias eſt a longiori evagatione & παρεκβάσει.

2 Individui ſeu exempli veri aut ficti, vt fabularum Apologorum, parabolorum, &c. maxima eſt vis & vſus huius loci.

3 Cauſis efficientibus, & finalibus vtili viz. & iucundo.

4 Effectis & accidentibus vtilibus iucundis & è contra.

5 Antecedent. Conſeq. connex. &c.

6 Diviſione (διαμερισμῷ διαιρετικῷ) cum totum in partes deducitur & ſpargitur, minus n. dicit qui totum dicit quam qui omnia i.e. omnes partes enumerat. Sic poſſunt amplificari, Expugnatio vrbis prelium, Paſſio Chriſti infanticidium Herodianum &c. eſtq; hic plane ſingularis & ſumme vſus in dilatando locus.

Comparatione (συγκρίσει) 1 generis cum ſpecie per applicationem theſeos ad Hypotheſin: vt [In omni quidem ætate fœda eſt libido ſed in ſenectute fœdiſſima omnium] 2 Similitudinis & interdum diſſimilitudinis, ſæpe etiam ipſa ſimilitudo per partes dilatatur quod in concionibus ſacris ſæpiſſime vſu venit, quomodo in huiuſmodi, vt ſemen ſic verbum vt aurum in fornace ſic pius ſub cruce vt bonus paſtor ſic Chriſtus &c. proſequuntur ſimilitudinis partes et omnia requiſita ſeminis, &c. Verbo, &c. applicant.

7 Paritatis et imparitatis vt fecit in parallellis Plutarchus; optimum ſc. eſt et amplum formandæ orationis artificium præſertim ſi per partes diduc-

catur, vt, vir 2 Christianus non tulit patienter 3 mortem 4 vnius filij, cum 1 mulier 2 Ethnica æquanimiter plurium 3 cædem pertulit. Non vt navis nova vtilior est quam vetusta sic et amicitia. Gravior temporis quam diuitiarum iactura. Imparia etiam viz. maius et minus sæpe per *Substitutionem* et remotiorem comparationem conferuntur. Hac formula [non hoc sed illud] et hæc [Si &c. [Sed &c.] vt non furem sed raptorem, non adulterum sed expugnatorem pudicitiæ &c. Deus dedit filium non angelum, non hominem sed, &c. Si volens hominem ignotum læsisset graue esset et indignum, si amicum tetrius, si parentem violare sceleratum est, huc refert amplificationes ex Adagijs et Proverbijs, quæ sunt ex loco parium et similium, vt Punica fides, Bos in lingua, proteo mutabilior.

8 *Oppositis* per antithesin (ἄρσιν καὶ θέσιν) remotionem et positionem rhetores vocant) vt bonum liberi, misera orbitas, bonum patria, miserum exilium, huc quoq; pertinent orationes prolepticæ et præsumptiuæ, quibus tacitas objectiones et scrupulos præoccupamus et eximimus et ita auditorum benevolentiam et attentionem conciliamus. Ciceroni frequens est amplificandi modus.

1 *Exaggeratio* (περιβολη) cum rei gradus additur et ostenditur quanta quam gravis et ardua sit vsitatur sæpius ad concitandum aliquem effectum vehementem iræ gaudij doloris &c. idq; in re non levi et ridicula sed magna et excelsa, et quidem præcipue in actionibus & passionibus enarrandis. Sumitur ex iisdem locis è quibus dilatatio cum qua non infrequenter coincidit; principes sunt loci.

1 Causarum effectorum, accidentium partium, circumstantiarum accidentium & consequentium accumulatio & congeries (συναθροισμος) præsertim in factis singularibus, vt fecit Cic. Philip. 2. in vomitu

mitis Antonij exaggerando.

2 Partium omnium & particularium enumeratio qui locus insignis est & vehemens, sic amplificari possunt ejusmodi propositiones [Totum patrimonium profundit] valde doctus est, Totus commaduit.

3 Comparatio maiorum & minorum parium similium & dissimilium, sic amplificatur hæc propositio [1 Deus 2 dedit pro 3 nobis 4 filium 5 suum] atq; hæc [1 Filius 2 parentem 3 senem atq; 4 ægrotum 5 fame enecari passus est] maxime in comparatione exaggerat Incrementum αὔξησις cum à minoribus ad maiora à maioribus ad maxima comparatio provehitur [Facinus vincere scelus verberare parricidium necare civem Romanum &c.

4 Ex oppositis quæ rem valde augent, vt captivitas Liberationis beneficium. Lucem Evangelij tenebræ pontificiæ, Eruditionem ignorantia &c.

CAP. 5.

De Inventione speciali tribus causarum generibus accommodata & primo generi Demonstrativo.

HActenus fuit inventio generalior circa omne thema propositum sequitur iam magis Specialis in tribus Causarum generibus de quibus antiquorum præcepta præterire nefas est. Quo igitur facilius & preceptiones & orationes Antiquorum Rhetorum qui in his tribus causis solummodo versati sunt intelligantur, operæ pretium erit illorum artificium in singulis breviter perspicere: Sunt itaq; Causarum genera tria.

Demon-

Demonſtrativum
Deliberativum
Iudiciale

quæ omnia inter ſe differunt officio materia & fine. Exordiemur a genere demõſtratiuo quippe qd breviſſime & minimo negotio expediri poteſt. Eſt igitur orationum vel cauſarum genus Demonſtrativum illud. quod continet alicujus rei *Laudationem* aut *Vituperationem:*

Officium eſt Laudare & vituperare

Materiæ ſunt in genere res omnes divinæ humanæ naturales, morales, inſignes vtiles: reducitur tamen tam late diffuſa copia ad tria capita.

Ejus 1 Perſonarum & quaſi perſonarum. 2 Factorum & vltimum rerum.

Finis eſt honeſtas & turpitudo, vt rerum laudatarum dignitas & decus reddatur illuſtrius, vituperatis autem turpitudinis & infamiæ macula inuratur.

Argumenta *Laudis & vituperij* ſumuntur ex locis *Honeſti & Inhoneſti* vel *Turpis*. Quorum definitiones & ſpecies elegantiſſime & accuratiſſime ab Ariſtotele Rhet. l. 1. c. 9. proponuntur ad quem velut fontem digitum hic tantum intendimus. Illi vero loci cum in cæteris huius generis materijs tum maxime in laudatione perſonarum præclarum ſui vſum ſuppeditant. Solebant itaq; veteres perſonas ornare argumentis ſumptis ex triplici bonorum genere.

1 Animi vt

1 Virtutum omniũ moraliũ atq; aliorũ animi habituũ perfectorũ qui ad virtutem quaſi præculti & præparati ſunt, cuiuſmodi ſunt artes & ſtudia literarum eloquentiæ numerorum, ſonorum, menſuræ, ſyderum, equorum venandi, armorum; inter virtutes earum gratiſſima laus eſt quæ non tam ipſis qui eas habent, quam generi humano fructuoſæ putantur, vt Iuſtitia, fortitudo, liberalitas, fides, clementia.

2 Rerum geſtarum: in quibus illæ maxime excellunt

cellunt quæ ſuſceptæ ſunt ab aliquo nullo proprio emolumento et præmio vel etiam cum labore et maximo periculo ipſius.

3 Virtutis inſignium et notarum cujuſmodi ſunt habiti honores decreta præmia triumphi ſupplicationes, hominum judicia res geſtas comprobantia felicitas ipſa, &c.

2 *Corporis*, vt valetudinis dignitatis. Id eſt, pulchritudinis quæ maximè virtute ſignificat virium, &c.

3 *Externorum* quæ caſu aut fortuna ſecunda vel adverſa occidere poſſunt, vt honos, pecunia, potentia, &c. In quibus præcipue oſtendat Orator quo pacto his rebus vſus ſit nam fortunam quidem et laudare ſtultitia eſt et vituperare ſuperbia eſt: animi vero laus honeſta et vituperatio vehemens eſt.

Verum enimvero de perſonarum laudatione vberius dictum eſt in ſuperioribus cap. 2. de themate perſonali, vbi quamplurimi loci fuſius expoſiti ſunt, vnde ampliſſima dicendi copia haurire poteſt. Itaque hæc quæ dicta ſunt de hoc genere ſufficiant niſi et illud velimus adjicere? Olim quidem hoc genus cauſæ, minus ſæpe ſeperatim tractatum eſſe, ſed mixtum in Iudicialibus et Deliberativis in quibus cauſis ſæpe magnæ partes verſantur laudis et vituperii. Hic ergo aliquid induſtriæ ponendum erat: neque enim illud quod potuit accidere vt faciendum ſit aliquando, non oportuit velle vt quam commodiſſime facerent.

CAP. 6.

De Genere Deliberativo.

SEquitur genus Deliberativum quod in conſultatione poſitum habet in ſe Suaſionem & Diſſuaſionem ejus.

1 Officium eſt ſuadere aut diſſuadere circa rem aliquã faciendam

2 Finis eſt vtilitas & honeſtas ſeu Dignitas. Cicero duplicem facit (de Orat. 2. Ariſtoteles autem vnicam vz

Cic. orat. part.

vtilitatem ponit. Sed rectius fortassis Cicero duplicem constituit pro duobus diversis hominum generibus apud quos deliberaturi sumus.

1 *Indocto* et agresti quod anteferat vtilitatem honestati: huic Quæstus emolumentum fructusq; & vitationes dolorum itemq; voluptas (quam vt quisq; est immanissimus acriter sectatur) à suasore proponitur: nec non è contra ignominia infamia, damnum, dedecus, dolor, à dissuasore proferuntur, nemo enim bis emptum optarit lucrum.

2 Expolito et bene instituto, quod rebus omnibus dignitatem anteponat: huic laus, honor gloria fides justitia omnisq; virtus proponi debet.

3 *Materia* in qua versatur Deliberatio sunt res omnes appetendæ aut vitandæ, rerum autem expetendarum genera sunt 3.

1 Eorum quæ propter se petenda sunt et ex sua vi et dignitate nos alliciunt ad sese, vt nihil adjungatur emolumenti. Hæc dicuntur *Honesta* et vno nomine *Virtutis* comprehenduntur, itaque tota vis honestatis erit considerata si omnes virtutis partes cognitæ et plene perspectæ fuerint. Eæ sunt vt Cicero distinguit *Prudentia, Iustitia, Fortitudo, Temperantia*, quæ singulæ in alias partes subdividuntur, meliores autem definitiones et diuisiones quam quæ à Cicerone traduntur, ex Ethicis petenda sunt. Propter se vitanda sunt virtutibus contraria. *Vitia*, tum ea quæ in vno extremo posita dissimilia virtutis sunt, tum quæ in altero finitima sunt virtuti & cum ea quandam similitudinem retinent, vt audacia et temeritas cum fidentia et fortitudine.

Iuvent. 2.

2 Eorum quę non propter vim suam et naturam sed propter fructum atque vtilitatem petenda sunt. Hujusmodi vocantur *Vtilia* quæcunq; commoditatem aliquam afferunt. vel

Privatim, quorũ certa genera constitui nõ possunt.

Publice,

Publice, de quibus frequentius deliberatur. Hæc sunt omnia in quibus consistit civitatis & reipub.

1 Salus & libertas, vt * Leges ferendæ, pecuniarum parandarum ratio, bellum et pax, instrumenta vtriusque. Classes arma, tormenta, nautæ, milites socij et auxilia, portus, custodia regionis, commeatus et res ad victum necessariæ, Agrorum colendorum ratio, commercium et similia quæ civitatem tutam et incolumem quasi per vim præstant, * quibus adjungi potest Dolus et Consilium, in pecuniis ad corrumpendos hostes elargiendis, in pollicitationibus dissimulationibus maturationibus et simulatis festinationibus, mendaciis aliisq; artificiis de quibus sæpe deliberatur, an vtile sit (cum per vim nequeamus) fraude rempublicam tueri. In hoc toto genere et suasori et dissuasori accurate penitandum est Quibuscum, et contra quos, quo tempore, et loco quibusq; facultatibus quicquid agi poterit, item quæ nobis suppetunt et quæ adversariis, an nostræ quam eorum res proclivio-res, faciliores, vel è contra, &c.

Vid. Aristot. Rhet. l. 1. c. 4.

Ad Herenn. 3.

2 Amplitudo et potentia ad sua conservanda et res aliorum obtinendas. Hæc consistit in omnium ante dictarum copia excellenti.

3 Eorum quæ mixta et ex vtrisque juncta sunt quæ partim sua vi dignitateq; inductos nos ducunt, partim vtilitatem quandam fructumque præ se ferunt, quo magis expetantur vt *Gloria*, *Dignitas*, *Amplitudo*, *Amicitia*, *bona Existimatio*.

Ex his argumenta sumuntur ad suadendum vel dissuadendum si Orator ostenderit rem de qua daturus est consilium, vel honestam vel vtilem vel vtramque vel neutram esse. Sunt præterea alii loci de possibili et impossibili, de futuro et non futuro, Facili et difficili; Necessario et Contingenti qui etiamsi aliis quoq; causæ generibus communes sint tamen

vel imprimis huic generi accommodantur, verum de his et superioribus breviter dispiciemus, secundum diversitatem controversiarum et quæstionum quæ in hoc genere occurrunt; Hæ septem sunt, quinq; quidem priores absolutæ, reliquæ duæ comparatæ, vt

1 An res fieri possit vel non possit? Quæ continent locum de possibili: quem explicatum ab Aristotele vide Rhet. l. 2. c. 18.

2 An res futura sit vel non futura? Quæ comprehendit locum de futuro quem enarratum ab eodem libro capiteq; iisdem consule.

3 An necesse sit fieri aut non necesse?

Est vero duplex necessitas
- 1 Simplex cui nulla vi resistitur, quæ neque mutari neq; leniri potest, vt corpus mortale tandem interire necesse est: atque hæc necessitas omnem tollit deliberationem.
- 2 Ex adjunctione vel Hypothetica vt cibo vtantur homines necesse est, nisi cum hac exceptione, extra quam si velint fame perire.

Quæ vero in deliberationem veniunt, secundo hoc modo necessaria sunt, propter causam adjunctam: vt necessario hoc faciendum est, si honeste vivere, incolumes esse; sine incommodis esse velimus.

4 An sit factu facile vel difficile? An magno labore et sumptu an paruo aut nullo perfici poterit. Quæ enim perdifficilia sunt perinde sunt habenda vt quæ nullo modo effici possunt.

5 An sit factu honestum vel vtile? Quæ complectitur locos de honesto vtili & bono ex vtrisq; mixto.

6 Vtrum è duobus potius honestius & vtilius sit aut è pluribus potissimum honestissimum & vtilissimum factu sit, quæ quæstio per comparationem instituta continet elegantissimum illum locum de Bonis Comparatis pulcherrime ab Aristotele tractatum, Rhet. 1. cap. 7.

7 Honestas vtilitati, an honestati vtilitas præferenda

sit:

sit? In qua quæstione absque non erit veterum præcepta & regulas adnotasse hæ sunt.

1 Honestatis summam esse necessitudinem, incolumitatis proximam, commoditatis autem minimam. itaq; primam secundæ, hanc tertiæ præferendam esse.

2 Si quando inter se pugnare videantur, ita consultare oportere: si quod in præsentia de honestate delibatum & deminutum est, virtute aliquando & industria recuperetur, incolumitati potius quam honestati consulendum erit, quia sine incolumitate ne honestatem quidem possumus adipisci, nec virtutibus uti possunt qui suas rationes in tuto non collocarunt. Hac igitur in re alteri concedere vel in illius conditiones descendere & in præsentia quiescere atq; aliud tempus expectare oportebit.

3 Videndum autem comprimis est an incommodum aut utilitas digna sit, quare de magnificentia aut honestate aliquid derogetur. Quæ causæ accurata pensitatio in hoc loco vel rei totius caput est.

Sunt porro loci quidam adversarij Suasoris & dissuasoris observatu non indigni.

1 Qui tutam & utilem rationem contra honestam suadebit his utatur Locis
- 1 Nihil incolumitate utilius esse.
- 2 Sine ea virtutibus uti neminem posse
- 3 Ne deos quidem esse auxilio eis qui se inconsulto in periculum mittant.
- 4 Honestum nihil oportere existimari quod salutem non pariat.

2 Qui tutæ præponet honestam hos locos adhibeat.
- 1 Virtutem nullo tempore relinquendam esse.
- 2 Vel dolorem vel mortem dedecore & infamia leviorem esse.
- 3 Ne hoc vitato periculo immortalitatem & æternam incolumitatem consequi nos posse, neq; esse exploratum in nullum aliud periculum venturos.

4 Præclarum esse virtute vel vitro ad mortem proficisci.

5 Fortunam fortitudini esse adiumento solere.

6 Eum tutè vivere qui honeste vivat non qui sit in presenti incolumis.

7 Qui turpiter vivat incolumem in perpetuum esse non posse.

CAP. 7.

De Genere Iudiciali & eius Statu Coniecturali & definitiuo.

SIC de generibus Demonstrativo & Deliberativo sequitur *Iudicidle* causarum genus, quod in se habet Accusationem & defensionem: ejus

1 Officium est Accusare & Defendere.

2 Finis est Ius & Iniuria, Æquum & Iniquum quæ rebus in iudicium vocatis vel inesse ab accusatore vel non inesse a defensore ostendendum est.

3 Materia in qua versatur multiplex est pro diversitate causarum & Controversiarum quæ in hoc genere occurrunt. Quæ omnes ad quatuor status seu constitutiones reducuntur viz Coniecturæ, Definitionis, Qualitatis & deniq; Quantitatis. De quibus dicemus sigillatim, vbi quid status sit in genere prius definiverimus.

Est igitur Status (στάσις, Constitutio Ciceroni) quæstio principalis quæ ex prima causarum conflictione, scil. accusatoris intentione, & defensoris depulsione oritur, vt e. g. Intentio accusatoris est occidisti Roscium. Occidisti Milonem, depulsio defensoris est. Non occidi. Hinc status & Quæstio principalis. Occideritne? An Iure Occiderit?

Status Coniecturalis est. Cum reo factum inficiante quæritur factum sit an non? vt Vlisses occideritne Aiacem? hic quoniam res coniecturis argumentisq; probabilibus & suspicionibus agenda est ex quibus rebus sumantur coniecturæ per-

perſpicere oportet Sumuntur autem ex triplici loco.

1 Cauſæ: qui locus fundamentum eſt huius conſtitutionis, non enim factum eſſe probaveris, niſi aliquid quare ſit factum oſtenderis cauſa iſta ſubit duplicem rationem.

1 Efficientis & intus impellentis (Cic. vocat Impulſionem) quæ ſine cogitatione & conſilio per quandam affectionem atq; impetum animi facere aliquid hortatur, vt Amor, Libido, Ira, Odium, iracundia ægritudo, vinolentia, cæteræq; perturbationes, quarum vim & naturam accuſator verbis ſententijs & exemplis vehementer amplificare debet. Iuvent.

2 Finalis & externe allicientis (Cic. vocat Ratiocinationem diligentem nimirum & conſideratam aliquid faciendi aut non faciendi excogitationem) 1 Vbi accuſator oſtendet reum commiſſiſſe quid, non temere imprudenter inſcitio caſu & neceſſitate ſed vt huiuſmodi cauſis permotum: vt

1 Aviditate & ſpe retinendi augendi aut Adipiſcendi alicuius Commodi, vt amicitiæ, gloriæ, dominationis pecuniæ.

2 Cupiditate reijciendi diminuendi & devitandi alicuius incommodi vt formidine ſupplicij doloris infamiæ &c. item inimici alicujus vlciſcendi gratia.

3 Spe & opinione quod ſuſcepto minore incommodo maius evitare poſſit.

4 Spe & opinione perficiendi atq; celandi vel ſi patefactum eſſet depellendi criminis, vel perrumpendi periculi vel in longinquum tempus differendi adeoq, facinus fuiſſe tale vt eum illius pœnitere non fuit neceſſe.

5 Opinione, fore vt judicij pœna levior eſſet quam facti præmium, aut facinoris voluptas maior quam damnationis dolor.

Hæ cauſæ omni modo amplificandæ ſunt ab eo qui accuſat, à quo danda eſt opera vt non tantum quid in veritate ſit oſtendat, ſed multo vehementius, quid in

ejus

ejus opinione quem arguit fuerit, neq; enim ex eventu cogitationem ſpectare oportet, quia ſæpe opinio fallit) ſed qua ſpe, & cogitatione ad maleficium profectus ſit, conſiderare, non quid commodi fuit aut ſit, ſed quid ei viſum eſt: quo deniq; animo fecit, non quo caſu vtatur. In amplificatione hac demonſtrabit per collationem ſi poterit.

1 Cauſam alij nemini niſi reo fuiſſe faciendi.
2 Tantam aut tam idoneam nemini fuiſſe.
3 Vel fuiſſe quidem cauſam ſed defuiſſe.

1 Poteſtatem, & facultatem, non potuiſſe eos, neſciſſe, non affuiſſe, non adjutores & adiumenta habuiſſe.

2 Voluntatem, quia animus erat a talibus cupiditatibus & maleficijs purus & integer.

E contra defenſoris munus erit dicere.

1 Impulſionem aut nullam fuiſſe aut paruulam: animiq; motus aut non animo fuiſſe aut non tales, & tam impotentes vt ex ijs huiuſmodi facinora oriri ſolent.

2 Naturam Affectionis, quæ in reo arguitur; quoad leniſſimam & quietiſſimam partem explicabit, vt a re Crudeli & turbulenta ad mitiorem & tranquillio rem animus audientium traducatur, atq; hæc oratio ad animum eius qui audit & animi quendam intimum ſenſum accommodanda eſt.

3 Ratiocinationis ſuſpitiones infirmabit oſtendendo.

1 Non fuiſſe ſibi facultatem perpetrandi iſtius facinoris, non vires non opes non copias.

2 Commodum fuiſſe nullum aut parvum aut adijs magis aut nihil ſibi magis quam alijs.

3 Incommodum & periculum ſubeundum fuiſſe maius commodo expetito.

4 Se non fuiſſe tantæ ſtultitiæ vt in tali re veritatem ignoraret, atq; maius quam revera erat commodum

commodum opinaretur: (si opinio vrgeatur) aut etiam dementiæ tantæ vt si de commodo futuro dubitaverit, dubia spe impulsum se in certum periculum committeret.

5 Iniquum esse omnes ad quos aliquid emolumenti pervenerit, in suspitionem maleficii devenire.

2 Personæ, vnde magna argumentorum probabilium copia deducit eaq; ex diversis locis, vt à.

1 Nomine & cognomine, inde enim sæpe aliquid suspicionis nascitur.

2 Natura, eisq; omnibus quæ à natura corpori aut animo dantur vt Sexus, Natio, Patria, Cognatio, quibus majoribus aut consanguineis, Ætas, Corpus, valens an imbecillum longum breve formosum deforme, velox tardum, Ingenium, acutum an hebes memor an obliuiosum, come, officiosum, pudens, patiens an è contra.

3 Victu. 1 apud quos. 2 quo modo. 3, cujus arbitratu sit educatus. 4 quibus artium magistris. 5 & vivendi præceptoribus. 6 quibusq; amicis vtatur. 7 quo in negotio. 8 Quæstu artificioq; sit versatus. 9 quomodo rem familiarem administrat?

4 Fortuna, sit ne 1 Servus an liber, 2 pecuniosus an tenuis. 5 privatus an cum potestate & imperio, idque jure an injuria. 4 fœlix & clarus nobilis an ignobilis. 5 quales liberos habet. 6 quali morte affectus, si de mortuo sermo sit.

5 Habitu animi aut corporis, vt virtus, vitium, robur, pulchritudo.

6 Affectione, & vehementi subita ve aliqua animi aut corporis commutatione aut commotione.

7 Studio, assidua & vehementi ad rem aliquam meritis intentione atq; occupatione.

8 Consilio, factis, casibus, & orationibus secundum tria tempora vt quid fecit facit facturus sit.

9 Facultatibus viz copia & potestate earum rerum

aut quibus facilius fit aut sine quibus perfici non potest negotium vt sunt vires, pecuniæ, conscii, arbitri, adjutores, servi, liberi.

Ex quibus in vnum locum coactis

Accusatoris erit Improbatione hominis vti. Nam vt improbare animum alicujus nihil attinet, cum causa quare peccaret non intercesserit, ita causam interdicere leve est, nisi animus ejus qui insimulatur in talem suspicionē adducatur, vt à tali culpa non videatur abhorruisse, itaq; vita rei arguenda est ex ante factis.

Si 1 In simili genere peccavit aut in re æque magna aut majore aut minore.

2 In similem suspicionem venerit.

3 In dissimili genere peccavit, vel gravius vel æque turpiter atq; in hac re: inde inferre, non esse mirandum qui in alio genere turpis avarus, petulans, perfidus fuerit, hac quoq; in re reum deliquisse.

4 Dabit operam si poterit vt vita hominis & animi vitium cum causa peccati conglutinetur: vt si dicat eū commisisse pecuniæ causa, ostendat semper fuisse avarum, si vero honoris, ambitiosum.

5 Cum nullo affinis vitio ante admisso reus poterit demonstrari, hortetur Iudices, vt veterem hominis famam & facta nihil ad rem pertinere putent. Illum enim celasse flagitia sua nunc manifeste teneri. Oportere non hanc rem ex superiori vita spectari sed vitam ex hoc facto improbari.

6 Cum neq; hæc dici poterunt dicat non mirum esse si nunc primum deliquerit: Necesse est eum qui velit peccare aliquando primum delinquere.

Defensoris est è contra

1 Ostendere vitam ejus qui insimulatur, esse Honestissimam.

1 Commemorando Nota ejus & communia officia in parentes, cognatos, amicos, affines, necessarios.

2 Recensendo illius magis rara & eximia facta quæ

1 cum

1 cum labore, 2 cum periculo. 3 quando non erat necesse officii causa in rempub. aut dictorum aliquos susceptæ sunt.

3 Ostendendo nulla eum cupiditate impeditum ab officio recessisse.

4 Quod cum fuerit potestas impune faciendi abfuisse tamen voluntatem.

5 Demonstrando fuisse eum in eo genere, in quo arguitur purum atq; integrum, vt ab ambitione & avaritia intactum.

6 Indignatione & Conquestione grauissima vtendo

1 Indignum & miserum esse, cum animus omni in vita fuerit à vitijs remotissimus eam causam putare quæ audaces homines in fraudem rapere soleat, castissimum quoq; hominem ad peccandum potuisse impellere.

2 Iniquissimum esse & optimis pernicioſum, non vitam honeste actam tali in tempore plurimum prodesse, sed ex subita & conficta criminatione non ex ante acta vita, quæ neq; ad tempus fingi neq; vllo modo mutari potest facere judicium.

2 Si in vita fuerint turpedines aliquæ dicere,

1 Falso venisse in eam existimationem ex aliqua obtrectatione invidia, falsa opinione aut rumore.

2 Peccasse eum imprudentia, stultitia, adolescentia, necessitudine, vi, persuasione, & non malitioſa animi affectione: idq; feciſſe in longe dissimili vitiorum genere, vt animus etsi non omnino integer tamen à tali culpa remotus videatur.

3 Si vitæ turpitudo & infamia leniri nullo modo poterit negare de vita & moribus apud Censores quæri sed apud Iudices de eo crimine de quo arguitur. Atq; dicet non ante facta sed illud quod inflat agi oportere.

3 *Facti ipsius & negotij* ex cujus natura multa colligi possunt argumenta quæ rem credibilem aut incredibilem possunt reddere, petuntur autem præcipuè ex tribus fontibus.

1 *Antecedentibus* quæ ante rem gestam facta sunt, cõcinentur ad ipsum usq; negotium: Hic quæri debet, Is qui arguitur 1 vbi præter consuetudinem alieno loco & tempore. 2 Qui cum visus est. 3 Quid apparavit. 4 Quẽ conuenerit. 5 Quid dixerit. 6 Quod consilium cum consciis adjutoribus, & administris inierit.

2 *Circumstantijs*, conjunctis & concomitantibus, quæ in ipsa gestione negotii considerandæ sunt: vt

1 *Locus* in quo res gesta sit, cujus oportunitas æstimanda est ex 1 Magnitudine. 2 Intervallo. 3 Longinquitate & propinquitate. 4 Solitudine. 5 Celebritate. 6 Et ex his & similibus attributionibus, sacer fuerit an profanus privatus an publicus, alienus an ipsius de quo agitur.

2 *Tempus*, quo anno, mense, die, nocte, vigilia hora aut qua horum parte gesta sit res. Item spacium considerandum est, id est, Longinquitas temporis, & videndum satis ne longum fuerit potueritq; aut magnitudo negotii aut multitudo rerum in eo transigi tempore.

3 *Occasio*, quæ est pars temporis habens in se alicujus rei idoneam faciendæ aut non faciendæ oportunitatem.

sive { 1 *Publice* & communiter, vt Ludi, dies Festi, Bellum Messis, Vindemia, Calor Frigus, &c. 2 *Private* vt sacrificium nuptiæ, funus, convivium somnus.

4 *Accidentia*, vt num quicrepitus, clamor strepitus sit auditus, vel aliud quoddam sit aliquo sensu perceptum.

3 *Consequentibus* quæ factum vel Confestim vel ex intervallo sequuntur: vt

1 Si relictum sit aliquod factum indicet vt Tumor livor, telum, vestimentum, vestigium, Cruor.

2 Si sint signa nocentis conscientiæ, vt erubuisse expalluisse, expavisse, titubasse, inconstanter locutũ esse, orationem nec cum se ipsa nec cum re congruisse

iſſe concidiſſe, pollicitum eſſe aliquid. Si nihil horum oſtendi poterit, accuſator poteſt dicere. Eum vſq; adeo præmeditatum fuiſſe, quid ſibi vſu venturum eſſet, vt confidentiſſime conſtans reſponderet, quod ſignum confidentiæ non innocentiæ eſt. Defenſor è contra dicet ſi pertimuerit cum magnitudine periculi non conſcientia peccati commotum eſſe. Si non pertimuerit id innocentia fretum feciſſe.

3 An & quos habuit facti comprobatores & æmulos aut etiam propter factum illud inimicos.

4 Eequa vtilitas & honeſtas factum conſequuta ſit.

5 Eequa ea de re aut eius rei ſit lex, conſuetudo actio, iudicium, ſcientia, artificium, &c.

6 Vulgo inſolenter an raro ſoleat evenire.

Atq; ex his locis petendæ ſunt coniecturæ. Quibus inſuper tanquam ſpecialioribus adiungendi ſunt alij *Communes* qui cum in alios tum præcipue in hunc ſtatum Coniecturalem incidunt. Hi ſunt.

1 *Quæſtiones & tormenta.*

a quibus dicendum eſt. 1 Voluiſſe maiores noſtros veri inveniendi cauſa cruciatibus & dolore homines cogere vt quod ſciant dicant, adeoq; illis vera dicendi neceſſitatem imponere. Quo in loco eorum opinio, vt vis doloris amplificanda & augenda eſt. 2 Deinde irridenda eſt oratio, qua vti ſolent ad infirmandas quæſtiones, vt meditata & puerilis.

Contra eas dicendum. 1 Dolori credi non oportere quia ſæpe fuerit cauſa falſa dicendi, quod alijs Patientia facile mendacium faciat alijs infirmitas neceſſarium. 2 Eſſe alium alio recentiorem & ingenioſiorem ad comminiſcendum. 3 ſæpe multos eſſe mentitos vel ex malitia in eos quos oderunt, vel in gratiam cum ſcire & ſuſpicari poſſent, quid

quæsitor velit audire quo dicto finem dolori sibi futurum.

2 *Testes*, quorum testimonijs authoritas concilianda est ex vita, & probatissimis moribus, atq; constantia testimoniorum. Contra elevanda sunt testimonia ex vitæ turpedine vanitate testimoniorum & inconstantia & levitate, ex ignorantia scire eos non potuisse ex cupiditate & malo aliquo affectu, eos odio invidia, iracundia, metu, spe, præmio, adductos dicere, ex vtilitate si tenues & obscuri sint, ex paucitate si deficiet ex conspiratione si abundabit testium numerus, ex gratia si potentes prodierunt.

Cui desunt testes ei pro argumentis dicendum est.

1 Cum multa concurrant argumenta & signa rem perspicuam non suspitiosam videri oportere.

2 Argumentis potius quam testibus credi oportere illa veritatem exponere solere, hos corrumpi posse, pretio, metu, gratia, simultate.

Contra argumenta defensor dicet.

1 Nullam rem esse quam non suspicionibus quivis possit criminari.

2 Indignum facinus esse sine testibus coniecturam & suspicionem firmamenti satis habere.

3 Argumento firmo quia tam sæpe falsum est, posse recte non credi, at viro bono et firmo, sine vitio judicis, non posse non credi.

2 *Rumores, fama, & suspitiones.*

ab his dicendum est.

1 Temere famam nasci non solere nisi subsit aliquid.

2 Causam non fuisse, quare quispiam fingeret & Comminisceretur.

Contra,

1 Argumentando fidem famæ derogabimus: docendo malignitatem eidem dare initium, incrementum Crudelitatem atq; exemplis ostendendo multos rumores falsos extitisse.

2 Dice-

2 Dicemus inimicos nostros aut homines malevolos & maledicos confinxisse.

3 Fictam fabulam aut etiam verum rumorem in adversarios afferemus, qui illis aliquid turpitudinis afferat, & dicemus eam omnibus in ore esse, nos ei tamen non credere, quod quivis possit de quovis etiam innocentissimo rumorem dissipare.

Accusatoris loci communes certi sunt 1 per quem auget facti atrocitatem, 2 negat malorum misereri oportere.

Defensoris è contra 1 per quem calumnia adversarij cum indignitate ostenditur, 2 cum conquestione misericordia captatur.

Et sic de statu *Coniecturali* sequitur *Definitivum* cum factum conceditur sed de nomine eius ambigitur: vbi vis vocabuli definienda est, vt qui sacrum ex privato surripuerit, fur sit an sacrilegus, an pater privatus qui filium suum tribunum de templo deduxit reus sit maiestatis minutæ, hic oratoris munus est.

1 Eius nominis de cuius vi agitur, brevem apertam & ex hominum opinione, causæq; ipsius vtilitatem definitionem dare. Quid sit sacrilegium quid maiestatem minuere ductis à rebus in maiori, minori aut pari negotio similibus.

2 Verbis, rationibus, et exemplis confirmare, ita esse ut descripserit.

3 Ad definitionem, factum aduersarii adiungere, et docere, eum sacrilegum &c. esse. Quem locũ amplificabit, ex atrocitate, indignitate, turpitudine, et culpa huius criminis

4 Infirmare descriptionem aduersariorum, & docere eam esse, 1 falsam neque congruere cum hominum opinione scribendi consuetudine, & sermocinandi vsu: hoc ex rebus quibus homines vti eo verbo soleant considerabitur. 2 Turpem aut invtilem aut perniciosam ostensis incommodis, quæ, illa concessa consecutura sunt.

Communes loci sunt, Accusatoris in malitiam ejus qui non

Sed

modo rerum Sed etiam verborum poteſtatem ſibi arrogare coneturnon tantum vt faciat quid velit ſed vt id quod fecerit quo velit nomine appellet.

Defenſoris indignatio in adverſarium qui in ſui periculi cauſa, non res ſolum convertere verum etiam verba commutare conatur.

CAP. 8.

De ſtatu Qualitatis & Quantitatis.

STatus Qualitatis (qui Cic. generalis eſt) dicitur cum factum conceditur ſed de iure quæritur, quare etiam *Iudicialis* ſtatus appellatur.

Eſtq; duplex { Rationalis. / Legalis.

Rationalis qui proprie factum ipſum reſpicit, eſt in quo juris & injuriæ æqui & iniqui ratio diſquiritur, adeoq; ipſius negotij natura & genus expenditur. Hic quoq; in duas dividitur ſpecies.

1 *Abſolutum*, quando in ipſo negotio iuris civilis, recti & non recti controverſia continetur, vt Thebani victis Lacedemonijs in perpetuam rei memoriam æneum trophæum contra Grayorum morem ſtatuerunt. Accuſantur apud Amphyctionas non oportere Graios de Graijs æternum inimicitiarum monumentum ſtatuere, Defendunt illi ſe gloriæ in bello partæ æterna inſignia, poſteris eſſe relinquenda. Iudicatio ſeu Quæſtio eſt; Rectene an contra fecerint?

Hic quoniam res iure agitur illud quibus ex rebus conſtat cognoſcendum eſt: ſunt autem tres.

1 Natura, qua illud ius eſt quod nobis non opinio ſed quædam innata vis afferat, vt

1 Religionem in metu & ceremonia deorum.

2 Pietatem in officio erga patriam parentes conſanguineos conſervando.

3 Gra-

3 Gratiam in memoria & remuneratione officiorum honorum & amicitiarum.

4 Vindicationem, per quam vim & contumeliam defendendo aut vlciſcendo propulſamus a nobis aut noſtris, nec non per quam punimus peccata.

5 Obſervantiam per quam ætate ſapientia aut honore aut aliqua dignitate antecedentes reveremur & Colimus.

6 Veritatem & fidē, per quam damus operam ne quid aliter quam confirmaverimus fiat aut futurum ſit.

2 *Lex*, qua illud ius eſt, quod populi iuſſu ſancitum eſt, vt [In ius eas cum voceris.] Ex lege omnia iura legitima confirmantur.

3 *Conſuetudo*, qua ius eſt, quod (aut leviter a natura tractum aluit & maius fecit vſus, vt Religio Cic. de Iuvent. l. 2. aut) omniū voluntate ſine lege vetuſtas Comprobarit, vt Edicta prætoria multa & alia quædam iuris genera quę conſuetudine facta ſunt.

Vt
- 1 Pactum quod inter aliquos convenit, pactorum alia legibus obſervanda ſunt alia ſine legibus obſervantur ex conventu, omnia vero ita putantur iuſta vt iuri præſtare dicantur.
- 2 Par (ἴσον) ſeu ex æquo & bono ius quod inter omnes æquabile eſt.
- 3 Iudicatum, de quo iam ante ſententia alicuius aut aliquorum conſtitutum eſt. Cum autem idem omnes de eodem non iudicarunt poſſumus judicem cum iudice tempus cum tempore, numerum cum numero Conferre.

2 *Aſſumptivum* cum ipſum ex ſe factum probari non poteſt aliquo autem foris aſſumpto argumento defenditur, quod ſit quadruplici modo:

nempe per { Comparationem / Relationem. / Remotionem: & deniq; / Conceſſionem.

Comparatio eſt cum aliquod factum quod per ſeipſum non eſſet probandum ex eo defenditur quod cum è duobus alterum eſſet agendum, id quod eſt à nobis factum ſatius fuit fieri, vt Imperator qui amiſit arma & impedimenta vt milites ſervaret] Hæ judicationes duæ ſint, 1 Conjecturalis, Periiſſent ne & Ideo ne fecerit. 2 Comparativa, vtrum ſatius fuerit amittere milites an ad eam depactionem venire.

In Conjecturali vtendum erit conjecturis

1 Id quod futurum fuiſſe dicunt defenſores niſi hoc quod agitur, factum eſſet, futurum fuiſſe negabitur, potuiſſe enim vitari.

2 Factum eſſe dolo malo, aliam ob cauſam ac ſe dicat reus feciſſe.

In Comparativa adhibendi ſunt loci ex genere deliberativo 1 Cauſam quam reus comparat plurimis rationibus infirmabit aut non honeſtam aut non vtilem aut non neceſſariam aut non tantopere fuiſſe demonſtrabit.

2 Factum ſeparabit à cauſa comparata & dicet non ita fieri ſolere, neq; oportere neq; rationem eſſe cur hoc propter hoc fiat vt propter ſalutem militum ea quæ ſalutis cauſa parantur hoſti tradantur.

3 Comparabit beneficium cum maleficio, illud extenuando, hujus magnitudinem adaugebit cum indignatione.

4 Dicet honeſtius vtilius & magis neceſſarium fuiſſe illud quod reus vitarit quam quod fecerit, & non penes ipſum ſed alios eſſe judicandi poteſtatem, vtrum ſit vtilius venuſtius & conducibilius id quod fecerit an quod omiſerit.

Defenſoris Loci.

1 Nul-

1 Nullum factum inutile turpe aut contra putari oportere nisi quo animo loco & tempore fiat intelligatur atq; etiam qua de causa, qui locus magni est momenti.

2 Beneficii magnitudo ex vtilitate honestate & facti necessitudine demonstrabitur.

3 Res vt est gesta, verbis expressa ante oculos auditorum ponatur, vt se idem in eodem tempore ob eandem causam facturos fuisse arbitrentur.

Relatio criminis (ἀντίστροφα Recriminatio) est cum reus id quod arguitur confessus, alterius se inductum peccato iure fecisse demonstrat, adeoq; criminis culpam in eam personam quæ & ipsa malum passa sit confert: Exemplū est. Horatius sororem iure occidisse se defendit, quod fratrum mortem negligerat, hostium lugeret, de fratris & populi R. victoria non gauderet: quæritur, oportuitne eam à fratre indemnatam necari?

Accusatoris est.

Illum (in quem culpa confertur) si possit, defendere & videre iurene in crimen transferatur.

2 Dicere levius esse illud quod in alterum peccatum reus trasferat quam quod ipse susceperit.

3 Ostendere, minime oportuisse peccatum illud à reo vindicari sed per alios alio modo alioq; tempore agi iudicari & statui ea de re convenisse simulq; proferat leges & iudicium per quæ potuerit illud peccatum vindicari.

4 Non oportuisse ante supplicium quam judicium interponere.

5 Negare audiendum esse id quod in eum criminis confertur de quo is ipse qui conferat judicium fieri noluerit, quod judicatum non est haberi pro infecto.

6 Impudentes esse qui nunc eum apud iudices accusent, quem sine iudicibus condemnarunt & de eo iudicium faciunt de quo ipsi supplicium sumpserint.

7 Iudicia perturbari & iudices vltra potestatem progressuros

gressuros, si de reo, & quem reus arguat iudicarint.

8 Omnia inconmoda consequi hoc si sit constitutum vt peccata homines peccatis & injurias iniurijs vlciscantur. Sibi (i.e. accusatori) si ita facere voluisset, non fuisse opus hoc judicio si cæteri ita faciunt nullum judicium futurum

9 De eo in quem crimen confertur ne si damnatus esset potuisse hunc ipsum supplicium sumere, indignum itaq; esse, quod sumpserit de indemnato, postuletq; vt Legem qua id fecerit proferat.

10 Comparetur illius culpa in quem crimen refertur cum huius maleficio, illam extenuet atque hoc amplificet.

Defensoris est.

1 Relationem criminis confirmare augendo eius in quem referret crimen culpam & audaciam atque cum indignatione iuncta conquestione rem ante oculos ponet.

2 Dicere reum levius punitum esse quam sit promeritus: & supplicium levius esse iniuria.

3 Contra judiciorum perturbationem, si de indemnato sumendi supplicium potestas data sit, dicere

1 Hanc injuriam non modo viro bono verum etiam homini libero non videri tolerandam.

2 Perspicuam esse vt ne ab ipso quidem qui fecisset in dubium vocaretur.

3 Ejusmodi esse vt is maxime debuerit animadvertere qui animadverterit neq; rectius quam eo modo, & ab eo potuisse vindicari quo modo & à quo vindicata est.

4 Ita esse apertam, vt iudicium de ea fieri nihil attinuerit quod exemplis similiũ rerum illustrandum est, de quibus non modo non necesse est sed ne vtile quidem, quin mox iudicium fiat, expectare.

Loci

Loci communes hi sunt

Accusatoris

1 In eos qui aliquid spei ex iudiciorum perturbatione comparant.

2 Demonstratio vtilitatis iudiciorum & conquæstio de eo qui supplicium dederit indemnatus. Nec non indignatio in ejus qui sumpserit, crudelitatem & audaciam.

Defensoris.

1 Conquestio de eius quem vltus sit audacia.

2 Rem non ex nomine sed consilio eius qui fecerit causa & tempore considerandam esse.

3 Magnum malum futurum nisi tanta & tam perspicua audacia ab eo ad quem pertinuerit esset vindicata.

Remotio criminis quando a nobis crimen simpliciter removetur, & in aliam vel rem vel personam transfertur. Vt legati quod non essent profecti culpam prorsus in Quæstorem dimovent, quod is sumptus, qui è publico debebantur non dedisset. Adolescens in ædere Samnitico porcam sustinuit iussu imperatoris. Quæritur an cum cæteris sit dedendus hosti. Defendit se, quod nihil potestatis ipse habuerit, sed iussu imperatoris in ædere & tanta religione interfuerit.

Accusator.

1 Defendit eum cuius culpa factum esse reus dicet, si poterit.

2 Vel dicat non illius culpam sed hujus ad iudicium pertinere.

3 Suo quemq; officio consulere oportere, non si ille peccasset hunc oportuisse peccare.

4 Illum si deliquerit separatim accusari oportere nec cum huius defensione illius accusationem coniungi.

5 Ex remotione criminis accusationem confirmabit si dicat factum ab eo esse quod illius officij & potestatis non erat vt si Prætor faciat quod Consulis est officium.

Defensor.

1 Demonstrabit cuius culpa acciderit.

2 Ostendet se non potuisse ex vtilitate aut necessitate non debuisse ex honestate id facere, quod accusator vult.

3 Omnia facta esse ex reo quæ in eius fuerint potestate quod minus quam debuerit id esse alterius Culpa cuius in potestate res erat ad cuius officium pertinebat ad suam vero potestatem aut officium rem nec pertinere, nec pertinuisse.

4 Suum studium & voluntatem quanta fuerit docebit ex signis cæterâ diligentiâ, ante dictis & factis.

Ab vtrisq; ostendi debet, quid cuiusq; officij iuris potestatis sit, ex omnibus vtilitatis & honestatis partibus, exemplis, signis.

Concessio est cum factum à reo improbatur sed vt ignoscatur id petitur: Partes huius duæ sunt.

1 Purgatio cum non factum sed voluntas defenditur quod accidit quando culpa confertur: in

1 *Imprudentiam*: non scisse aliquid eum qui arguitur. Exemplo sunt nautæ, qui Dianæ contra morem Vitulum ex voto imprudenter immolabant.

2 *Casum*, cum aliqua fortunæ vis, voluntati obstitit, vt si quis cum hostias ad sacrificium quoddam statuto die præbere debuit magnitudine fluminis adducere prohibitus sit.

3 *Necessitudinem* cum vi quadam reus se id quod fecerit feciſse probat. vt Navis rostrata vi tempestatis in portum Rhodiorum depulsaest, & ibi deprehensa quæritur an ex lege publicari debeat?

Accusator,

1 Ostendet aliqua suspicione illud consulto factum quod necessario alteriue accidisse dicitur.

2 Inductis necessitudinis casus & imprudentiæ definitionibus & exemplis, hoc negotium ab illis separabit & quod dissimile sit ostendet.

3 Docebit, potuisse hoc evitari, si hoc aut illud feciſset

feciſſet aut prudentia cognoſci & præcaveri: quod fecerit inertiæ negligentiæ & fatuitati attribui oportere, per culpam ſuam ventum eſſe in neceſſitudinem hanc, vt non caſu ſed vitio animi neſciſſe vt ſi vinoſus fuerit.

4 Si neceſſitudo turpitudinem videbitur habere demonſtrabit quidvis perpeti mori deniq; ſatius fuiſſe quam eidem obtemperare.

5 Dicet alijs in ſimili excuſatione non eſſe ignotum quibus magis fuit ignoſcenduma, magnoq; futurum detrimento ſi hæc res à iudicibus negligatur.

His ſubiungi poteſt locus communis: quanta poteſtas peccandi relinquatur ſi non de facto confeſſo ſed de cauſa ambigua & dubia quæratur.

Defenſor.

1 Locis ſupra additis vtetur è converſo.

2 Docebit ſe plus quam fecerit facere non potuiſſe.

3 Voluntatem ſuam ſpectari oportere: & quæ Conſulto facta non ſunt in eis fraudem ineſſe non debere.

4 Indignum eſſe eum qui culpa careat ſupplicio non carere.

5 Communem hominum infirmitatem in ſe damnari: vbi ſubnecti poteſt conqueſtio de calamitate ſua & ærumnis de fortunæ poteſtate de hominum infirmitate de adverſariorum inanitate & Crudelitate.

2 Deprecatio in qua non defenſio facti ſed ignoſcendi poſtulatio continetur. Hoc genus vix in iudicio probari poteſt, quia peccatis confeſſis a peccatorum vindicibus difficulter ignoſci debet. Quia tamen ſæpe in Senatu & concilio & ante Imperatorem hoc genus tractatur poſſunt iudicium animi ad ignoſcendi voluntatem inclinari vel inde abduci: ſi

Defenſor

Defensor.

1 Commemoret suum in remp. studium, voluntatem & beneficia animo bono se semper in remp. fuisse & multorum recte factorum causa merito vni delicto ignosci debere.

2 Doceat sua beneficia plura aut maiora esse quam hæc quæ deliquerit, plus inde boni quam hinc mali profectum esse.

3 Maiorum beneficia proferat.

4 Se non odio & crudelitate fecisse, sed stultitia aut impulsu alicuius, aut officio & recto studio aut aliqua honesta & probabili de causa.

5 Pollicebitur se hoc peccato doctum & eorum beneficio qui ignoverint confirmatum omni tempore à tali ratione abfuturum.

6 Spem faciet se ijs qui concesserint magno vsui futurum: nullum autem periculum ab eo futurum si missum faciant.

7 Ostendet se consanguineum aut amicum maioribus eorum qui se salvum velint, & amplitudinem voluntatis & nobilitatem generis. Cæteraq; personæ honestamenta enarret, vt honore potius quam supplicio dignus videatur.

8 Alijs maiora delicta concessa esse.

9 Se quando cum imperio & potestate fuit mansuetum & misericordem fuisse ac propensum ad ignoscendum.

10 Extenuet suum peccatum, alij loci captandæ misericordiæ tradentui infra, cum de peroratione verba facturi sumus & de affectu misericordiæ.

Accusator.

1 Maleficium augebit enumeratione & amplificatione omnium peccatorum: nihil imprudenter sed omnia ex malitia & crudelitate facta dicet.

2 Dicet reum immisrecordem & superbum & inimicum semper fuisse ac fore.

3 In beneficiorum gratiâ elevandâ, dicet. 1 alia de causa non propter benevolentiam facta. 2 postea odium esse acre susceptum. 3 omnia maleficijs esse delta- 4 leniora esse quam maleficia. 5 Cum beneficijs honos sit, pro maleficijs pœnam sumi oportere.

4 Turpe esse & inutile ignoscere & præterea stultum ii de quo vt potestas esset, sæpe optarint, in eum potestate vti nolint.

5 Hortetur Iudices cogitare quem animum in eum & qualem odium habuerint.

Hactenus de statu Rationali, sequitur *Legalis* seu legitima constitutio quæ versatur in explicanda sententia legis & scripti: vt testamenti, stipulationis, &c. Quando ex ratione scriptionis aliquid controversiæ nascitur. Cernitur in quadruplici discrimine.

1 *Ambiguitatis*, & amphiboliæ, cum quid senserit scriptor obscurum est, quod verba in duos pluresq; sensus trahi possunt vt [Hæres meus vxori meæ vasorum argenteorum pondo centumq; volet dato: item, Meretrix Coronam auream habeto si habuerit, publica esto.] Hic ad confirmandum nostrum sensum dicemus.

1 Non esse ambigue scriptum quod ex communi consuetudine omnes vti solent eo verbo aut verbis in sensu quo nos accipienda esse docemus.

2 Perspicua omnia esse ex superiore & inferiore scriptura, quod vero sic clarescit non esse ambiguum.

3 Sententiam nostram confirmari ex alijs scriptoris scriptis dictis, factis, totaq; eius vita.

4 Omnia pertentando ostendere, quâ appositum sit quod nos interpretemur: & eo probato quod adversarius intelligit rem vtiliorem & honestiorem & magis necessariam à scriptore negligi.

5 Quod volunt adversarij multo minus commode fieri posse quam id quod nos accipimus, illius nec administrationem nec exitum vllum exstare, quod nos dicimus facile Commode, honeste recte, lege, more, ex

æquo & bono transigi posse, vt si publica de corona intelligatur.

6 De eo quod adversarius intelligit, in alia lege cautum esse.

7 Aliter scribere voluisse legislatorem, si illud quod adversarius accipiat, fieri atq; intelligi vellet.

8 Quæ fuerit scriptoris voluntas, ex tempore, quo scriptum est, verisimile fieri.

2 Scripti & Sententiæ cum alter verbis scriptis vtitur, alter ad quod scriptorem sensisse dicet omnem adiunget orationem.

Qui se defendit sententia: dicet

1 Scriptoris sententiam & simplicem voluntatem semper ad idem spectare & idem velle in omne tempus & factum.

2 Vel sententiam scriptoris ex quodam facto aut eventu ad tempus interpretandum & accommodandum esse vt in eiusmodi re & hoc tempore hoc voluisse demonstretur.

Scripto: his vtetur locis.

1 Scriptoris collaudatione.

2 Loco Communi Iudices, nihil nisi id quod scriptũ est spectare oportere.

3 Facti aut intentione adversariorum cum ipso scripto contentione, Quid scriptum sit, quid factum: Hic locus vehemens est & in eo commorari oratorem Convenit eumq; variare, admirando secum, quid contra dici possit interrogando iudicem. Quid præterea audire & expectare debeat & adversarium vtrum scriptum esse eo modo, an ab se contra factum esse neget & tamen contradicet, se hominem eo impudentiorem nunquam vidisse. Sic recitabit scriptum & cum eo confliget factum adversarij, sæpe quasi nihil sit præterea dicendum.

4 Quid juratus sit judex, quid sequi debeat, demonstret:

monſtret cum ſcriptum ſit aperte & adverſarius omnia confiteatur iudicem ſine dubitatione legi parere, non interpretari legem oportere.

5 Si aliud ſenſiſſe, aliud ſcripſiſſe demonſtrabitur: qui ſcripto vtitur:

dicet
1 Non oportere de eius voluntate argumentari qui ne id facere poſſemus, iudicium nobis reliquerit ſuæ voluntatis.
2 Multa incommoda conſequi ſe inſtituatur & à ſcripto recedatur: nam neq; ſcriptores exiſtimaturos id quod ſcripſerunt, ratum futurum, nec Iudices certum quid ſequantur, habituros. Neq; eſſe ferendum à quoquam potius latoris ſenſum quam à lege explicari. Cur ita ſcripſerit ſi non ita ſenſerit?
4 Se multo propius accedere ad ſcriptoris voluntatem qui ex ipſius eam literis quas voluntatis ſuæ imagines reliquit, interpretatur quam adverſarium, qui eam non ex ſcriptis ſed domeſticis ſuſpicionibus perſcrutetur.

6 Sin cauſam afferet is, qui à ſententia ſtabit dicendum eſt contra.

1 Eſſe abſurdum non negare contra legem feciſſe ſed quare fecerit cauſam aliquam invenire.
2 Ante ſolitos eſſe accuſatores cauſam proferre quæ reum ad precandum impulerit, vt culpa affinis oſtenderetur, nunc converſis rebus, reum ipſum cauſam afferre quare deliquerit.
3 Nulla in lege vllam cauſam contra ſcriptum accipi convenire: qui locus varie confirmandus eſt.
1 Scriptori (niſi prudentiſſimum in ſcribendo virum, ſummæ ſtultitiæ putet eſſe damnandum) neque ingenium neq; operam neq; facultatem vllam defuiſſe, quo minus poſſet aperte perſcribere ſi voluiſſet ſcribere quod cogitaret. Non fuiſſe ei graue nec difficile eam cauſam ex-

cipere quam adversarij proferant si quid excipiendum putasset. Consuesse eos qui leges scribunt exceptionibus vti: quod recitatione legum cum exceptionibus scriptarum probandum est.

2 Videat, si qua in ea ipsa lege de qua agitur, sit exceptio: aut alibi apud eundem scriptorem, vt magis probetur eum fuisse excepturum, si quid excipiendum putaret.

3 Causam excipere nihil aliud esse quam legem tollere: cum nihil eam ex lege considerare refert cum causa in lege scripta non sit hinc fieri vt omnibus detur causa & potestas peccandi cum intellexerint judices ex ingenio eius qui fecerit non ex lege in quam iurati sunt rem iudicare. Vnde perturbatum iri rationis & iudicandi, & vivendi si ex suo quisq; consilio & libidine non ex Communi prescripto civitatis vnam quamque rem administrabit.

4 Quærat a Iudicibus ipsis an se legibus obstrictos in tantis reip. negotijs & molestijs esse æquum censeant, adversarios autem nostros leges negligere concedant? Cur non ipsi causam aliquam afferant quo minus frequenter reipub. dent operam.

5 Quærat a judicibus si reus velit adscribere istam exceptionem, passurine sint si ipsi velint? passurus ne sit populus, hoc vero indignum esse quam rem verbo & literis mutare non possunt eam re ipsa & iudicio maxime commutare.

6 Non hoc tempus non locum legum Corrigendarũ indignum esse & iudicibus invidiosum si ipsi de lege derogent, vel legem abrogent, vel aliqua ex parte cõmutant, insciente & non probante populo per quem hoc agi convenit, itaq; cum id multo turpissimum sit, legem cujuscunq; modi sit, in præsentia conservari a iudicibus postea

stea si displiceat, à populo corrigi convenire.

7 Si scriptum non extaret magnopere quæreremus neq; isti ne si extra periculum quidem esset crederemus nunc cum scriptum sit amentiam esse eius qui peccarit potius quam legis ipsius verba cognoscere.

4 Si in ceteris legibus accipi conveniat, hanc esse hujusmodi legem vt in ea accipi non oporteat. Hoc demonstrabitur; Si

1 Lex ad res maximas vtilissimas honestissimas, religiosissimas, pertinere videatur. Quare invtile turpe aut nefas esse tali in re non diligentissime legi obtemperare.

2 Si lex sit ita diligenter præscripta ita tantum de re vnaquaque, ita quod oportuerit exceptum vt nihil præteritum suspicari liceat.

3 Si lex addita exceptione iniqua aut invtilis futura sit.

5 Si in hac lege causam extra scriptum accipi conveniat eam tamen quam adversarius affert minime oportere. Hic locus necessarius est vt adversario illud quod in æquitate præsidium ponat auferat, quare id agat vt causam iniquam esse ostendat.

Rursus qui sententiam contra scriptum defender is vtatur his locis.

1 Suæ Causæ æquitatem demonstret atque facti sui rationem quo animo consilio qua causa fecerit.

2 Supplicia legibus statuta culpæ & malitiæ vindicandæ causa constituta esse.

3 Scriptorem legis si existat hoc probaturum & etiam probasse atq; fecisse in simili causa.

4 Leges non pueris stultis aut barbaris commissas esse, quibus necesse sit omnia perspicua perscribere, sed sapientibus & judicibus ejusmodi, qui forent non scripti recitatores, sed voluntatis interpretes. Scriptorem vero nihil excipisse, ne diverticula peccatis darentur

tur atq; vt ex facto cuiusq; iudex legis mentem interpretaretur.

5 Si hoc aut hoc (honestissimum scil. & necessarium) fecissent in lege non exceptum, vtiq; non accusarant. Ergo non omnia scriptis sed quædam perspicua tacitis exceptionibus caveri.

6 Nihil aut publici aut privati negotij recte posse administrari & omnem æquitatem perturbari si verba tantum & non voluntas præcipientis spectetur.

7 Ostendat in vtilitatem, stultitiam & injustitiam & turpitudinem in eo quod adversarius vult: non alijs legibus non iure communi non more non natura non æquo & bono fieri posse quod scriptum est, at ea quæ à nobis facta sunt justissime facta esse.

8 Leges Charas esse nobis non propter literas sed vtilitatem rerum de quibus scriptæ sunt & sapientiam diligentiamq; scriptorum.

9 Ostendet legem non in verbis sed in sententijs consilio scriptoris & vtilitati communi consistere. Calumniatoris & Callidi esse verba & literas sequi negligere voluntatem, Iudicem esse eum qui sententiam non scripturam sequitur.

10 Non oportere eodem affici supplicio qui per scelus & audaciam contra legem peccarit & qui honesta & necessaria de causa à legis litera recesserit salua sententia.

11 Exemplo proferat, in quibus à voluntate & contra scriptum iudicatum est.

3 *Contrariarum legum* (ἀντινομία) cum inter se duæ videntur leges aut plures discrepare. vid. Templum apud Ciceron. lib. 2. de Iuvent. hic vterq; suam legem Confirmare alteram infirmare debebit.

1 Contentione, vt 1. num qua abrogatio aut derogatio sit. 2. vtra ad res maiores i.e. vtiliores honestiores magis necessarias pertineat, vt si vtraq; conservari nequeat, tum ea quæ ad maximas res spectat. 3. vtra postrema

ſtrema Lata: nam poſtrema graviſſima. 4. vtra iubeat & cogat: hoc enim neceſſitatis, vtra permittat hoc enim voluntatis eſt, plus autem valet Sanctio permiſſione. 5 vtra pœnam aliquam aut maiorem ſtatuat: ea maxime conſervanda eſt quæ diligentiſſime ſanciat. 6 vtra jubeat vtra vetet, nam ſæpe ea quæ vetat quaſi Correctione quadam videtur Corrigere. Eam quæ jubet. 7 Vtra in toto genere aut in res plures vtra in certam rem aut partem aliquam ſcripta ſit: hæc enim promptius ad cauſam accedere & magis ad iudicium pertinere videtur. 8 vtra habet aliquam moram & ſuſtentationem, an quod ſtatim faciendum prius perfici oportet.

2 Dicet ſuam legem ſcripto niti: alteram per ambiguam ratiocinationem induci: id vero eſſe firmius & ſanctius quod apertius deſcribitur.

3 Contrariam legem enodabit, & in aliam ſententiam cauſæ ſuæ commodam trahet: ne diſcrepare videatur.

4 Noſtra ratione (ſi id dici poteſt) vtramq; legem Conſervari, adverſarij ratione vtramq; negligi.

4 *Ratiocinationis* cum ex eo quod vſpiam eſt ad id quod nuſquam ſcriptum ſit pervenitur, vide exemp. 2 de Iuvent. Loci pro ratiocinatione ſunt hujuſmodi.

1 Laudatio & Confirmatio ſcripti prolati.

2 Collatio eius de quo quæritur cum eo de quo conſtat vt illud huius ſimile videatur. Si illud concedant hoc vt multo æquius concedi oportere.

3 Legiſlatorem conſulto nihil de hac re ſcripſiſſe quod ſatis cautum putarit propter cæterorum ſcriptorum ſimilitudinem, ita vt de hac neminem dubitaturum arbitratus ſit.

4 Multis in legibus multa eſſe præterita, quæ idcirco nemo præterita iudicat quoniam ea ex ſcriptis poſſunt intelligi.

5 Neminem poſſe res omnes ſcripto complecti ſed

cum commodissime scribere qui curet vt quædam ex quibusdam intelligantur.

Contra ratiocinationem huiusmodi.

1 Infirmatio similitudinis, quia id quod confertur diversum sit ab eo cui confertur, genere, natura, vi, magnitudine, tempore, loco, persona, opinione, vt ostenso quid res à re differat, non idem videatur de vtraque existimari oportere.

2 Contrarijs vtetur ratiocinationibus si poterit.

3 Si non poterit. 1 Negabit oportere quidquam nisi quod scriptum sit considerare. 2 Periclitari omnia iura si similitudines accipiantur nihil pæne esse quod non alteri simile esse videatur. In singulas res singulas esse leges.

4 Coniecturam divinationem esse, & stulti scriptoris esse non cauere omnibus rebus quibus velit.

Hactenus de statu qualitatis, restat status *Quantitatis* cum non tam res quam rei magnitudo in iudicium vocatur. Tantane fuit iniuria? hic itaq; quæritur quæ maiores quæ minores sunt iniuriæ. Qua de re egregie disputat Aristoteles Rhet. l. 1. cap. 15. Qui adeundus est.

Quatuor hisce additur à nonnullis quintus in genere iudiciali status viz. *Translationis* cum controversia in ipsa actionis constitutione consistit, quod non aut is agit & persequitur, quem aut non cum eo qui cum aut quomodo apud quos judices quo iure quo crimine qua pœna quo loco quo tempore agere oporteat. Vt si reus cum peculatus accusator dicat secum furti agi oportere. Sed tam status hic dicendus fuerit quam controversia extra vel ante judicium: is enim qui alterum in judicium vocaverit actione male constituta, causa cadit.

CAP.

CAP. 9.

De toto genere probationum Rhetoricarum. Sc. Argumentis, moribus & Affectibus.

PEracta inventionis tum generalis tum ſpecialis tractatione proximum eſt vt generalem quandam omnium argumentationum oratoriarum Hypotypoſin & deſcriptionem ſubveſtamus: quo facilior ad methodum Ariſtotelicam aditus pateſiat & oratoris mens Clareſcat magis. Partiuntur Rhetores non inconcinne probationes oratorias in tria genera ſecundum triplex oratoris officium.

1 Eſt Docere, in quo acumen oratoris deſideratur atque huic officio inſerviunt *Rationes* & Argumenta quæ Proprijſſime naturam ipſius controverſiæ ſpectant. Hæ ſunt.

1 *Artificiales* quæ & inveniuntur & tractantur ab oratore. Cujuſmodi ſunt loci inventionis omnes fere ſupra traditi.

2 *Inartificiales* quæ non excogitantur ab oratore ſed in re poſitæ ratione tractantur, vt ſunt Tabulæ, Teſtes, Pacta, Iuſiurandum. Leges, S. Conſulta, Reſponſa decreta Rumores, & ſi qua ſunt alia quæ non ab oratore parivntur ſed ad oratorem à cauſa atq; re deferuntur, hoc genus probe meditatum oratori eſſe oportet vt pro contraq; dicat. De horum nonnullis actum eſt ſupra cap. 7. de eiſdem alijſq; tractat Ariſtoteles Rhet. l. 1 cap. 16.

2 Conciliare auditores: quod lenitatem & probitatem requirit huic famulatur Morum cognitio & repreſentatio, bebet enim oratio.

1 Effingere mores probos cum oratoris cum Rei vt bene morati & boni viri videatur. Nihil enim eſt in dicendo maius quam vt faveat oratori is qui audiet. Dicentis inducunt mores non dicta. Oratorem talem videri facient, lenitas vocis verborum comitas, vultus

pudoris significatio si quid persequatur acrius, invitũ se & coactũ facere simulatio facilitatis liberalitatis mãsuetudinis, pietatis, grati animi, demissi non appetentis non avidi non malitiosi non pertinacis nõ litigiosi non acerbi signa in medium prolata Reo conciliatur gratia si hominis dignitas res gestæ existimatio vitæ, mores iusti, integri, religiosi, perferentes iniuriarum oratione exprimantur.

2 Effingi & accommodari ad mores Auditorum hinc enim mire conciliantur auditorum animi si quæ ipsis convenire videant, dici audient. De hoc toto artificio consulatur *Arist. Rhet. l. 2. c. 14.*

3 Est *Promovere* animos auditorum, hoc vim oratoris postulat atque vt effectum reddatur, opus est. Orator vt omnium *Affectuum* naturam penitus perspectam habeat, vtilissimum enim hoc est & impetu quodam animi & perturbatione magis quam judicio aut consilio auditores regantur. Plura enim multa homines iudicant aliqua permotione mentis quam veritate præscripto & juris norma aliqua aut legibus itaq; in hunc tanquam præcipuum scopum totis viribus Rhetori collimandum est.

Circa affectus & animorum motus ciendos animadvertenda sunt præcepta.

1 Generaliora quædam quæ in omnibus affectibus concitandis obseruari debent: atq; respiciunt vel.

1 Oratorem qui movet à quo hæc attendenda sunt.

1 Cujus ætatis sit Senex an Iuvenis & cuius conditionis abiectus & vilis an magnæ authoritatis.

2 Vt ipse sit bonus, si bonos affectus excitare vult, non crudelis misericordiam nec lætus tristitiam vnquam ciebit.

3 Vt eodem ipse affectu sit Commotus. quem in auditore moveret. Qui vult incendere iudicem ipse ardere necesse est. Neq; satis est ficta & simulata affectus cuiusdam imitatio sed vera viuaq;

vivaq; in ipsis sensibus impressio, verissimum in illud, Pectus facit disertum. Et qui misericordiam nisi sit ipse misericordia captus movere desiderat non modo non miserabilis, sed etiam irridenda erit oratio ejus.

2 *Causam* considerabit enim Orator si causa motus postulet, irrisione enim aut odio dignus habebitur qui aut tragœdias agit in nugis aut si hominum animi flecti nequeant conetur convellere ea quæ non possunt Commoveri.

3 *Subiectum* in quibus, & obiectum adversus quos homines affectum aliquem movere volumus Itaq; eorum ætas qualitas ingenium fortuna perpendenda est. Nec enim quælibet persona ad quemlibet affectum apta est. In hoc autem præcipue oratoris sapientia desideratur & omni cogitatione & cura quam sagacissime adoretur, quid judices sentiant quid existimant quid expectant quid velint, quo deduci oratione facillime posse videantur. Si se dant & sua sponte quo impellimus inclinant atq; propendent, accipiendum est quod datur & ad id vnde flatus aliquis ostenditur vela danda. Sin est integer quietusq; iudex, plus est operis. Facilius est enim currentem incitare quam commovere languentem. Cum omnia sint dictione excitanda nihil adiuvante natura.

4 *Modum* & ordinem in movendo adhibendum. is est 1 Vt ne moveantur affectus sine argumentis ita vt affectus resolvatur in intellectum à quo etiam dependet. Nam omissis argumentis velle rem affectibus agere suspectam causam reddit tum etiam affectus excitabuntur leves & inconstantes. Quare præmissa ipsius causæ illustra & clara expositione & probatione in amplificationibus & exaggerationibus omni opera circa movendos affectus nitendum est. 2 Vt lente procedamus & paula-

tim' maxime in vehementioribus in quib. auditorum expectatio suspendenda est vt eorum estimationem rerum quibusdam gradibus ad summum procedamus. 3 Vt caveamus ne dicamus nos istum affectum velle movere quem movemus.

a Principia tarda sunt exitus vero spissi & producti non enim statim vt argumentum arripitur si affectus mouetur sed multa varia & copiosa oratione quare qui breviter dicunt docere possunt commovere non possunt *Cic. de Ora. l.* 2.

2 Specialia magis præcepta sunt ea quæ ad singulos affectus pertinent atq; pro diversitate affectuum diversa sunt. Est affectus ab oratore movendus vel.

1 *Fixus* et *Constans* quem in omni oratione spectare Orator debet. *viz. Delectatio* vt auditor cum voluptate orationem audiat. Paratur hisce.

1 Si argumenta explicantia probantia & amplificantia sint nec vulgata nimis & lippis nota nec obscura & subtilia, sed noua magna inopinata paucis nota admodum improvisa & valde insignia, tamen perspicua & clara quæ ob oculos depingant.

2 Si dispositio sit dextra facilis & methodica pulchra & apta rerum connexio, & moderata brevitas, Omne enim prolixum odiosum.

3 Si verba sint apta illustria & nervosa evidentia & pulchris tropis ornata: si sententiæ sint figuratæ numerosæ & periodicæ.

4 Si memoria sit firma, & non vacillans vox suavis sonora & penetrans, decus actionis summum & in alijs raro visum.

5 Si auditor admiretur eloquentiam auditoris: magno tunc fructu perorabit: quia omne admirabile iucundum est.

2 Varians & diversus secundum diversam orationis materiam huiusmodi sunt (omnia enim nominatim tantum perstringimus) Amor & Benevolentia amplexatio & prosequutio alicuius rei & personæ è contra *Odium* earundem fuga & aversatio. *Letitia, Gaudium, Tristitia, Dolor, Metus & Terror, Confidentia Ira* eiq; opposita, *Lenitas* & *Placatio* mentis: *Veneratio* æstimatio, & his contraria *Fastidium* atq; *Contemptus: Spes*

&

& *Desiderium, Misericordia, Gratia Pudor, Indignatio Æmulatio. Invidia pœnitentia.* His de affectibus saltem de eorum præcipuis copiosè tractat Aristoteles toto ferè secundo Rhetorices libro

Porio affectus vel mitigantur vel sedantur & tolluntur eisdem diminutis aut detractis quibus excitabantur & incensi erant aut etiam contrarijsaffectibus & commotionibus: Amorem enim odium tollit Iram risus lenitas & iocus, misericordiam invidia.

Finis libri primi.

LIB. 2. CAP. 1.

De dispositione & Exordio orationis.

DE inventione prima Rhetorices parte dictum est, sequitur altera scilicet *Dispositio*: quæ est inventorum apta ordinatio & Connexio qua in re singularis prudentia & artificium in oratore haud vulgare desideratur quando nihil sit quo intellectui & memoriæ cum sui cum auditoris magis consulitur quam concinna rerum in oratione omnium collocatione & εὐκοσμία. Est vero dispositio sicut & inventio fuerit duplex.

1 *Generalis* quæ ad omnia orationum genera late se extendit.

2 *Specialis*, quæ ad tria illa præcipue restringitur.

De priore primo agamus loco: post vti præcepta generalia absolverimus ad specialia descendemus.

Orator postquam argumenta omnia quæ causam probant atq; replicant inventa sunt tum demum de ordinanda tota oratione cogitare debet. Hoc fiet duplici modo.

1 *Artificialiter*, ex institutione artis tum per totas orationes, vt primo loco exordium deinde narratio divisio

Confirmatio, confutatio concluſio deniq; ponatur, tum per ſingulas argumentationes quæ diſponendæ ſunt per propoſitionem, rationem aſſumptionem probationem complexionem vt infra dicetur.

2 *Arbitrarie*, & accommodate ad tempus ad naturam ipſius cauſæ quæ naturalem quandam ſui diſpoſitionem oſtert, neq; vult intorqueri & inverti atq; intra præceptorum ordinem cogi, deniq; ad ipſos auditores quorum aures moderantur auditori prudenti & provido. Itaq; orator non ita ſe ſuperſtitioſe aſtringet præceptis artis ſuæ vt ei non licere putet vti commutationibus tranſlationib. & inverſionibus, cũ in tota oratione incipiendo modo à narratione, modo à ſcripti recitatione, aut firmiſſima aliqua argumentatione, modo hanc illi partem præponendo modo hanc vel illam vel vtramq; omittendo, tum in ſingulis argumentis, eorum partes variè prout è cauſa viſum erit invertendo & occultando.

Arbitraria diſpoſitio tota eſt oratoris prudentiæ & Iudicio relinquenda: Artificialis tantum quæ ab artis præceptis pendet ad noſtrum inſtitutum pertinet huius itaq; præcepta varia & multiplicia brevi conabimur comprehendere prout partes orationis per hoc artificium ordinandæ patientur. Hæ ſunt ſex.

1	Exordium	2	Narratio
3	Partitio	4	Confirmatio
5	Confutatio	6	Concluſio:

quarum quidem partium aliæ ſunt *Internæ* naturam ipſius cauſæ ſpectantes vt 2.3.4.5. aliæ vero Externæ quæ non tam ad rem quam ad perſonam oratoris vel auditoris et iudicis referuntur. De ſingulis ordine eo quo ſunt propoſitæ dicemus & primum de exordio.

Exordium eſt oratio animum auditoris aut iudicis idonei comparans ad reliquam dictionem, quod eveniet ſi eum benevolum attentum & docilem fecerit. Quæ tres vtilitates etſi in tota oratione ſint comparandæ maxime tamen per exordium cauſæ.

1 *Bene-*

1 *Benevolentia* vt cum amore audiamur comparatur: vel a

1 Perſonis.

1 Noſtra ſi

1 De noſtris in remp. parentes amicos eoſq; ipſos qui audiunt meritis factis & officijs ſine arrogantia & ad cauſam accommodemus.

2 Crimina illata & ſuſpitiones iniectas diluamus.

3 Noſtra incommoda, & difficultates, inopiam ſolitudinem & calamitatem proferamus

4 Prece & obſecratione ſupplici vtamur vt nobis ſint auxilio nos enim in alijs ſpem noluiſſe habere.

2 Adverſariorum eos adducendo in

1 Odium, aliquid eorum ſpurce ſuperbe perfidioſe flagitioſe crudeliter confidenter, malitioſe factum proferentes.

2 *Invidiam* ſi vis, potentia Factio divitiæ pecuniæ nobilitas, clientelæ hoſpitium ſodalitas cognati affines horumq, omnium vſus arrogans & intollerabilis oſtendatur vt hic adiumentis quam veritati & cauſæ magis confidere videantur.

3 Contemptionem oſtendendo eorum ignaviam inertiam negligentiam deſidioſum ſtudium & luxurioſum otium.

3 Diſceptatorum & auditorum & Iudicum ſi aperiemus. 1 Eorum res geſtas & iudicatas fortiter ſapienter manſuete magnifice iuſte ſed ſine oſtentatione. 2 Quam de his honeſta exiſtimatio quantaq; eorum iudicij & authoritatis expectatio ſit.

2 Rebus ipſis extollendo noſtram & deprimendo cauſam adverſarij.

2 *Attentio*

2 *Attentio* paratur si demonstrabimus nos dicturos esse,
1 De rebus magnis, Novis, invsitatis Incredibilibus ad omnes aut ad auditores aut ad aliquos illustres, aut ad deum aut ad summam reipublicæ spectantibus.
2 Brevi nos causam oraturos.

3 *Docilitas*, vt intelligenter audiamur paratur si
1 Summa causæ breviter & aperte exponatur vt nec intellectus confusione partium nec memoria multitudine impediatur.
2 Attentos auditores fecerimus, is enim optime docetur qui maxime attendit.

Illa sunt officia Exordium sequitur eorundem partitio atq; virtutes & vitia

Exordium dividitur in { Principium / Insinuationem.

Principium (προοίμιον) seu Exordium rectum est oratio perspicue & protinus efficiens auditorem benevolum attentum & docilem. Orator hoc vtitur in quadruplici rerum genere.

1 Si res sint *Honestæ* quibus statim auditoris animus favet cum id oppugnamus aut defendimus, quod eis videtur oppugnari vel defendi debere, hic vel omitti potest exordium vel principium adhiberi ad augendum eam quæ est benevolentiam.

2 Si res sint *Humiles* & non magnopere attendendæ, per principium attentus reddendus est auditor contemptionis tollendæ causa.

3 Si sint Ancipites & iudicatio sit dubia, aut causa in se habeat & honestatis & turpitudinis partem quæ benevolentiam pariat & offensionem. Hic incipiendo a parte honestiore captabitur benevolentia: nequid illud turpitudinis pars nobis obesse possit.

4 Si sint obscuræ, ob tarditatem auditorum aut negotiorum quibus res est implicita difficultatem ad cognoscendam, vbi per principium reddendus est orator docilis.

Insinuatio

Insinuatio (ἐφοδος) seu Exordium obliquum est oratio quadam dissimulatione & circuitione occulte & sensim demulcens & subiens animum auditoris. Ea vtendum cum auditoris animus plane est Infestus & à causa alienatus, quod accidit ex triplici causa.

1 Si *Turpitudo* causæ offendat eum aut honesta res oppugnatur aut defenditur turpis (Ciceroni Admirabilis) Hic orator.

1 Interponet hominem alium pro homine rem pro re hominem pro re aut rem pro homine, & ab eo quod odit ad id quod diligit auditoris animus traducatur.

2 Dissimulabit se id defensurum quod existimatur defensurus.

3 Cum mitior factus erit auditor ingrediatur defensionem peditentim & dicat ea quæ indignantur adversarij sibi quoque videri indigna, nihil eorum ad se pertinere: nolle se de adversarijs dicere quicquam neque hoc neq; illud, vt neq; aperte lædat eos qui diliguntur & tamen obscure aliqua verborum interiectione alienet auditorum voluntatem.

2 Si Persuasus sit auditor, atq; oratio adversariorum fidem videbitur auditoribus fecisse. Quod ei qui intelligit quibus rebus fides fiat, facile erit cognitu. Tum orator

1 Polliceatur se de firmissimo & maxime probato adversarij argumento primum dicturum.

2 Aut incipiat a nuperrimo adversarij dicto.

3 Aut vtatur dubitatione cum admiratione quid primum dicat aut cui potissimum loco respondeat. Nam auditor cum eum quem adversarium perturbatum putat oratione videt animo firmissimo contradicere paratum, plerunque se potius temere assensisse quam illum sine causa considere arbitratur.

3 Si Auditor defessus fuerit audiendo eos qui ante dixerunt tum commodum erit oratori.

1 Polliceri se dicturum brevius, aut aliter quam paratus fuerat, & non eo modo quo cæteri solent & adversarius vsus est.

2 Incipere a re nova & ridicula, vt strepitu, acclamatione inversione ambigua, suspitione irrisione adversarij, arrisione auditoribus, stultitia, hyperbole adiectione abiectione aut commutatione literarum in nomine adversarij collatione comparatione, joco apologo aut fabula aliqua & similibus quæ moveant risū.

3 Si dignitas rei adimat facultatem iocandi tum aliquod triste novum & horribile injcere quod pariat admirationem.

Virtutes & proprietates sunt hæ: Exordium plurimum gravitatis & dignitatis habeat: prima enim cognitio & commendatio oratoris in principio est quod continuo debet auditorē permulcere & allicere. Itaq; sint lenta accurata non exilia & nugatoria pulchra inventione acuta instructa sententijs apta verbis tum etiam causarum propria. Ne sint inflata & turgida sed vsitata verborum consuetudine modesta: neq; nimium festivitatis & concinnitatis insit, inde enim suspitio apparationis & artificiosæ diligentiæ nascitur quæ orationi fidem oratori adimit authoritatem sit sermo lenis non nimis vehemens & pugnax. Debet enim orationis ardor paulatim Crescere. Oportet imitari eos qui primas hastas ita iactant leviter, vt & venustati vel maxime serviant & reliquis suis viribus consulant, & Gladiatores è quibus ante congressum multa fiunt, quæ non ad vulnus sed ad speciem valere videntur & deniq; naturam quæ se vniversam non profundit, & repente tota evolat, sed quæ agentur acerrime, leni principio pertexuntur. Non tamen eiusmodi prolusio illa esse debet, vt Samnitum qui vibrant hastas ante pugnam, quibus in pugnando nihil vtuntur: sed vt ipsis sententijs quibus prolusserant pugnare possint.

Vitia restant vltimo loco. Exordium vitiosum est, quod peccat in præcepta data, tria vero præcipua exordiorum vitia notantur.

1 Si

1 Si sint *Vulgaria*, communia & commutabilia, quæ in plures causas possunt accommodari, & quibus non minus adversarij quam nos vti possunt. Huiusmodi trita sunt quæ à loci magnificentia, tenuitate & timore dicentis ducta magno audientium tædio & dicentium contemptu vsurpantur. Eius farinæ sunt [Diuturni silentij &c. *Si* quid est in me ingenij, &c. Quanquam mihi sit vester conspectus gratissimus, &c. Vellem equidem Iudices, &c. Iovem ego optimum maximum, &c.]

2 Si sint longa & prolixa nimis: pluribus verbis & sententijs vltra quam satis sit producta. Nam & Symmetria orationis turbatur & molestum est auditori investibulo diu detineri: maxime si satis videatur præparatus & audiendi cupidus, πᾶν γὰρ προοίμιον μακρὸν τῷ ἐπικομοῦντι ἀκοῦσαι.

3 Si sint *Separata* remota nimis & longe petita, quæ non ex ipsius causæ natura & visceribus difluxerunt, sed aliunde assumpta adnectuntur, et tanquam Citharædi proæmium affictum aliquod sequenti cantilenæ, aut caput equinum corpori humano agglutinantur. Itaq; orator hoc observare debeat vt tota causa perspecta & pertentata omnibusq; locis inventis & instructis tum deniq; quod primum est dicendum postremo cogitet vt non extrinsecus sed ex ipsa causa sumatur exordium.

CAP. 2.

De Narratione & Partitione.

SEcunda pars orationis est Narratio: verum illa non omnis est orationis: siquidem in orationibus in quibus thema aliquod simplex vel etiam coniunctum vniversale contemplativum aut practicum tractatur, nulla est narrandi vel necessitas vel vtilitas. Quando autem quæstio aliqua singularis tractatur vt fit in tribus Causarum generibus præsertim in iudiciali & demonstrativo omnino Narratio interserenda est. Est igitur narratio rerum gestarum vel perin-

de vt gestarum expositio. Genera eius tria sunt.

1 Quod causæ expositionem in nostram vtilitatem accommodatam continet ejus tres præcipue virtutes sunt.

1 *Brevitas*, in qua tamen cavendum est ne brevitas obscuritatem afferat aut eam virtutem quæ Narrationis maxima est vt iucunda et ad persuadendum accommodata sit tollat. Erit brevis Si.

1 Vnde necesse est inde initium sumatur et non ab vltimo repetatur.*

2 Cuius rei satis erit summam dixisse ejus partes non dicentur.

3 Non longius quam opus sit in Narratione procedatur.

4 In aliam rem non transibitur.

5 Ita dicatur vt non dicta ex dictis intelligantur [Redij ex provincia ergo eo profectus sum]

6 Quod obest et id quod non obest nec adiuvat præteribitur.

7 Si semel vnumquodq; sine repetitione dicetur absurde igitur Scenicus.

[Athenis Megaram vesperi advenit Simo vbi advenit Megaram insidias fecit virgini Insidias postquam fecit vim in loco attulit]

8 Studeamus deniq; non vt alij faciunt multas res breviter dicere, sed omnino res paucas dicere et non plures quam necesse sit, vt [Accessi ad ædes puerum evocaui, respondit quæsiui dominum domi negavit esse] sufficiebat dicere [Domi quæsitum non inveni]

2 *Perspicuitas* etsi enim cæteræ partes perspicuæ esse debent tamen in narratione magis elaborandum est vt sit aperta quia maiore periculo hæc pars orationis obscura est quam cæteræ, Nam si quo alio in loco est dictum quid obscurius id tantum perit quod ita dictum est. Narratio obscura totam obcæcat orationem et quia alia possis semel si obscurius dixeris, dicere alio loco

* Vid lib. 2. ad Heren. vtinam ne in nemore Pelio securibus cæsa cecidisset, &c.

loco planius, narrationis vero vnus est in causa locus. Aperta fiat Narratio si

1 Rerum & temporum ordo seruetur & quodq; primum gestum erit ita primum narretur.

2 Ita res narrentur vt gestæ sunt aut vt potuisse geri videantur.

3 Nequid perturbatè, contorte ambigue nove inusitate dicatur.

4 Obseruentur præcepta brevitatis res enim sæpe parum est intellecta, longitudine magis quam obscuritate narrationis.

3 *Probabilitas*, vt narratio verisimilis videatur, quod continget Si

1 In ea insint quæ solent apparere in veritate.

2 Seruentur personarum dignitates.

3 Exstabunt causæ factorum consiliorum rationes facultates faciendi, tempus idoneum, spatii satis, locus opportunus.

4 Accommodetur res ad eorum qui agunt naturam ad vulgi morem & rumorem ad auditorum opinionem nam sæpe veritas nisi hæc seruata sit fidē facere non potest.

Omittitur narratio: quando

1 Obest si rei gestæ expositio magnam contrahet offensionem tum oportet *membratim* partes rei gestæ dispergere in causam adjecta confestim ratione vt vulneri præsto medicamentum sit & odium statim defensio mitiget.

2 Nihil prodest vt cum. 1 res sit ab adversario exposita vt nostra nihil interfit iterum aut alio modo narrare. 2 si auditores ita teneant negotium vt hoc non sit opus eos docere.

2 Genus Narrationis est in quo digressio aliqua est extra causam aut criminationis aut similitudinis aut delectationis aut amplificationis & alicujus apparationis causa.

3 Genus remotum est à causa Civili tamen cum vtili exercitatione & dicitur & scribitur quo commodius superiores narrationes tractentur: In his vero

vel
- 1 Negotia exponuntur per 1 Fabulam quæ continet res nec veras nec verisimiles. 2 Historiam quæ exprimit res gestas sed ab ætatis nostræ memoria remotas. 3 Et argumentum, quod ficta res est quæ tamen fieri potuit.
- 2 Cum ipsis rebus Personarum sermones & animi declarantur: quo in genere multa inesse debet festivitas & rerum varietas, animorum dissimilitudo, gravitas, levitas, spes, metus suspicio, desiderium, dissimulatio, error, misericordia, fortunæ commutatio, insperatum incommodum subita lætitia jucundus exitus rerum, &c.

Pars orationis tertia *Partitio* est seu *Divisio* quæ quidem illustrem & perspicuam totam affert orationem. Ejus partes duæ sunt.

Quarum
- Prima ostendit quid *Cum adversario conveniat*, & quid in *Controversia* relinquatur. Hoc ita institui debet vt illud quod convenit inclinet ad suæ causæ commodum vt [convenit Orestem occidisse matrem sed & hoc convenit illam occidisse Agamemnonem quæritur jure ne fecerit] Hac ratione certum quiddam ostenditur auditori in quo animum debet habere occupatum. vocatur à nonnullis hæc partitionis pars *Propositio*, quæ rem de qua agitur proponit.
- Altera continet *Distributam* enumerationem & expositionem earum rerum de quibus dicturi sumus, vt res certas animo teneat auditor quibus dictis intelligat fore peroratum. Hæc in se continere debet.

1 *Brevitatem*, hoc in loco summe vtilem quia rebus ipsis & partibus causæ non verbis & extraneis ornamentis animus auditoris tenendus est.

2 *Ab-*

2 *Abſolutionem* cum omnia genera quæ in cauſam incidunt amplectimur nullo vtili relicto: nullo extra partitionem inſerto & illato: quod non niſi vitioſiſſime fieri poteſt.

3 *Paucitatem* partium, quæ vix plures tribus eſſe debent, ne ſit ſuſpicio meditationis & artificii, quare ponenda tantum ſunt genera rerum non partes ſeu ſpecies: vitioſa enim hæc partitio [oſtendam propter cupiditatem audaciam & avaritiam, adverſarios hoc feciſſe] quia avaritia eſt ſpecies cupiditatis. Logici ſic efferunt. Membra dividenria ne ſint ſubordinata.

Notandum hic eſt

1 Vt res quæque vt eſt in partitione expoſita ſic ordine tranſigatur.

2 Vt omnibus partibus explicatis nihil præter concluſionem inferatur.

CAP. 3.

De Confirmatione.

SEquitur jam quarta orationis pars viz *Confirmatio*, per quam argumentando noſtræ cauſæ fidem authoritatem, & firmamentum adjungimus. In hac tria ſpectanda ſunt.

1 Argumentorum confirmantiũ diſpoſitio & collocatio

2 Formæ Syllogiſticæ illorum argumentorum.

Ordo propoſitionum in illis ſyllogiſmis. Nam de locis vnde argumenta probationis petuntur ſupra dictum eſt in Inventione.

1 In diſpoſitione argumentorum hæ regulæ obſervandæ ſunt.

1 Vt Orator cognita cauſa prudentur & cum judicio conſtituat quid boni quid mali habeat, illud amplectatur exornet exaggeret, ibi commoret ibi habitet, ibi hæreat. hoc totum bonum illud augendo & ornando diſſimulatum obruat.

2 Id ſibi curæ ducat non tam vt proſit cauſis quam

vt

vt ne quid obsit: & vt non solum quid opus est dicat verum etiam quid non opus est non dicat. Turpius multo est oratori nocuisse videri causæ quam non profuisse. Enitatur vt boni aliquid efficiat dicendo sin id minus vt certe ne quid mali. Non enim diserti sed improbi hominis est & perfidiosi nocere ei quem defenderet.

3 Vt cum tria munera sint oratoris, conciliare, docere & permovere, nihil aliud quam docere velle videatur, reliquæ illæ sicut sanguis in corporibus in perpetuis orationibus fusæ esse debebunt.

4 Inter argumenta delectus habeatur: nec quævis promiscue adhibeantur. Leuia & ex parte vitiosa rejiciat, & ex eis quæ firma & vtilia sunt, levissima aut aliis gravibus secernat & ex oratione removeat. Argumenta non numero sed pondere metiatur, & firmissima quæq; tueatur maxime, sive plura sint sive vnum aliquod.

5 Argumenta ne denso agmine ponantur & nimis frequenter & continuo sine dilationibus & digressionibus constipentur, hoc enim non oratorium sed Logicum & Philosophicum est.

6 Ea sit connexio & cohærentia argumentorum vt sint προκλητικὰ seu provocantia, id est, vt prius semper videatur parere, & prolicere posterius & vnum ex altero quasi profluat.

7 Argumenta confirmantia ita ordinantur vt Firmissima in primis & postremis partibus collocantur. Nam re narrata auditor continuo expectat ex qua re confirmari possit. Cui expectationi si initio satisfactum non sit plus est in reliqua causa laborandum, male enim se res habet quæ non statim vt dici cæpta est melior videtur. Quare male faciunt qui è pluribus vel patronis minimum primum volunt dicere, aut argumentis quæ minus firma sunt prima collocant. Oportet itaq; firmissimo aliquo argumento & initio excipere,

re, & in fine dimittere auditorem: nam vt primum occupat ita vltimum hæret & memoriæ firmius mandatur: media aut negligentius audiuntur. Argumenta autem mediocria neq; vtilia ad dicendum neq; necessaria ad probandum quæ si separatim & singula dicantur, infirma sunt, cum cæteris coniuncta & firma & probabilia, interponi & in mediam turbam gregemque conjicere & collocare oportet.

2 De formis Syllogisticis quibus orator vtitur notandæ sunt hæ regulæ.

1 Orator frequentius vtitur Enthymematibus quã integris Syllogismis, quare Enthymema vocatur argumentatio Rhetorica.

2 Aliæ tamen vsu veniunt oratoribus argumentationum formæ,

vt
- 1 Complexio, vel dilemma: vt (Si improbus est cur vteris si probus cur accusas)
- 2 Enumeratio vel syllogismus disiunctivus cum multis expositis cætera infirmantur vt vnum confirmetur, vt (Istius fundi factus est possessor vel ex dono vel emptione, vel hæreditate, vel fraude non prioribus ergo hac.)
- 3 Inductio quæ est oratio rebus non dubiis captans assensionem ejus quicum est instituta, quibus assensionibus facit vt illi dubia quædam res propter similitudinem earum rerum quibus assensit, probetur quod genus argumentationis Socraticum est, e. g. Xenophontis vxorem sic interrogabat. Dic mihi inquit, si vicina tua melius habet aurum quam tu vtrum tuum an illius malis? illius inquit. Si vestem ornatum muliebrem & meliorem: illius inquit. Si virum tuo meliorem. Hic mulier erubuit. Hoc in genere observandum est.

1 Vt primum postulatum non sit dubium sed ejusmodi vt necesse sit concedi.

2 Vt adversarius non intelligat quo spectant

primæ inductiones, tum enim vel nihil respondendo vel male respondendo impediet progressus: Imprudens enim est eo quod concessit ad id quod non vult concedere deducendus est.

3 Si in vltima negat ostendenda est dissimilitudo: si concedat concludenda est argumentatio: Si taceat idem faciendum, quia taciturnitas initatur confessionem.

Maximus est hujus argumentationis vsus in interrogandis * testibus, qui inopinatis istiusmodi postulatis sæpe acerrime percelluntur.

4 Syllogismus Categoricus, vel Ratiocinatio (vt Cic. vocat) hujus partes enumerantur à Rhetoribus Quinque.

1 Propositio vt (Quæ optime administrantur ea consilio reguntur)

2 Approbatio propositionis per rationem vt (Domus exercitus, navis, quæ consilio curantur, melius se habent quam si stultitia & temeritate administrentur)

3 Assumptio vt (atqui mundus optime administratur)

4 Assumptionis probatio (quia signorum ortus & obitus definitum ordinem servant, &c.)

5 Complexio & Conclusio (Itaq; mundus non mediocri consilio regitur) Hæ partes non sunt aliud quam integer Syllogismus & prosyllogismorum duorum propositiones duæ.

De materia harum argumentationum, non est multum laborandum qualis sit aut esse debet: Illud certum est: argumenta necessarie demonstrantia & conquiri diligentissime ab Oratore & tractari debere copiosissime. Quoniam vero hæc argumenta minus frequenter occurrunt, ideo vsitatior argumentationum oratoriarum materia sunt res Probabiles. vt 1. Ea quæ fieri solent, vt si avarus negligit jusiurandum. 2 Quæ in opinione posita

* Sic Crassus testi, potest fieri inquit vt is vnde tu audisse dicis ita tus dixerit, annuit. Potest etiam vt tu non recte intellexeris, toto capite annuit. Potest etiam fieri, vt omnino quod tu audisse dicis nunquam audieris. Hoc ita præter expectationem accidit, vt testem risus omnium obruerit. Cic. de Orat. lib. 2.

posita sunt, vt eos qui Philosophiæ dant operam, non arbitrari esse deos. 3 Signa & Credibilia. 4 Similia paria & Comparabilia & exempla vt(Si iis qui imprudenter læserunt ignoſci convenit, ijs qui necessario profuerunt habere gratiam non oportet. Item Locus sine portu navibus tuta esse non potest: sic animus sine fide stabilis non est. Item. Si Rhodiis turpe non est portorium locare, nec Hermacreonti quidem conducere.]

3 De ordine propositionum in Syllogismis hæc observanda sunt:

1 Orator rarissime vtitur ordine propositionum directo & naturali: Logici hoc est potius tum etiam detegit artificium.

2 Ordinem inversum & indirectum sæpissime adhibet, modo ab vna modo ab alia parte incipiendo. Interdum majorem interdum minorem teticet: in ea autem semper propositione orationis fræna laxat quę optimam veritatis speciem præ se ferre videatur, illis quæ infirmiores sunt dissimulatis & occulte prætermissis. Hoc vero totum artificium à prudentia & judicio oratoris pendet: à quo ita variari debet, & tota oratio & singulæ argumentationum formæ vt similitudo satietatis mater ne quid officiat.

CAP. 4.

De Refutatione.

QVintum Orationis membrum est refutatio, vel vt Cic. vocat Reprehensio per quam argumentando adversarii Confirmatio, diluitur, infirmatur, aut allevatur, iam vero ex iisdem locis res aliqua infirmatur quibus confirmatur. Qui igitur novit rem ex locis inventionis adstruere, ei facile erit eandem ex iisdem destruere. Neq; opus erit particulares refellendi formas hic inferere, cum de eis abunde sit apud Logicos tractatum & omnia huc nullo negotio applicari

possunt. Quare generaliora tantum præcepta hic addemus, specialia cum infinita sunt vix in methodum cogi possunt. Hæc itaq; observantur.

1 Major adhibenda est diligentia in defendendo quam in confirmando: difficilius est enim sanare quã vulnerare.

2 Si auditor insigni aliquo præjudicio occupetur, refutatio confirmationi præponatur, vt exemptis scrupulis patientem deinde vobis accommodet aurem.

3 Primo loco firmiora argumenta, deinde leviora solvantur; vnum enim forte argumentum, sub initium solutum suggerit auditori opinionem omnia esse levia.

4 Si molestum aliquod & difficile argumentum premat atque vrgeat nihil respondeto, sed honeste cedat ita tamen vt non modo non abjecto, sed ne rejecto quidem clypeo fugere videatur. verum adhibeat quandam in dicendo speciem & pompam & pugnæ similem fugam, consistatq; in suo præsidio, vt non fugiendi hostis sed capiendi loci causa cessisse videatur. Stultitia est ea quæ sanare nequeas, exulcerare.

5 Ne contemnatur adversarius, & ad argumenta ejus securus esse videatur orator & parum attentus, sed prius argumenti acumen & speciem laudet deinde perspicue & clare solvat. Figit enim opinionem omnia esse soluta facilia.

6 Solutionibus ad rem subjungantur solutiones ad personam & extenuationes objurgationes &c. inprimis Retorsiones, in quibus primum collaudetur argumentum adversarii & magno cum favore concedatur deinde ex improviso in eum retorqueatur. Valde enim feriet & gravabit, & Oratori acuminis laudem pariet.

7 In refutando testimonio aliquo ne elevet authoritatem authoris gravis & auditoribus amici, sed 1 in genere differat de infirmitate humanorum testimoniorum, varietate & discrepantia aliorum testimoniis contrariis

contrarijs productis. 2 Interpretetur illud & mitiget ex circumstantis, loci, vt authoritas viri videatur depravata.

8 Particularium Argumentationum, vt Enthymematis, Inductionis Dilemmatis syllogismi disiunctiui & Categorici, horum inquam, omnium solutiones τῶν διαλεκτικῶν σοφισμάτων norunt, itaq; de toto argumentorum genere. pauca subijcemus, quæ oratores solent in argumentis adversariorum criminari vituperatur argumentum si sit

1 Falsum & perspicue mendax.

2 Commune quod nihilo magis ab adversario, quam à nobis facit vt (Idcirco Iudices quia veram causam habebam brevi peroravi)

3 Vulgare quod vulgare & tritam habeat defensionem: vt (peccâvit iracundia Commotus &c.) Sic enim maxima peccata impunita delaberentur.

4 Leve quod perspicue rem turpem breui teget defensione & quod post tempus sero & peracto negotio dicitur, vt (Si in mentem venisset non commisisset.)

5 Remotum quod nimium longe & vltra quam satis est petitur. vt (Si non P. Scipio Corneliam filiam T. Graccho collocasset, vt ex ea duos graechos procreasset, tantæ seditiones natæ non essent.)

6 Controversum, cum controversiam controversia dissolvit, & ad rem dubiam demonstrandam dubiam affert causam aut id pro argumento sumitur quod in disquisitione ponitur.

7 Perspicuum si probet quod non est controversum.

8 Non concessum: cum id augetur quod convenit doceri, vt si quis cum Vlissem homicidij accuset antequam rationes idoneas afferat, peccatum augeat, & dicat nihil esse indignius quam fortissimum ab ignavissimo occidi.

9 Turpe ob rem aliquam inhonestam, indignam eo loco & tempore quo dicitur, eo nomine qui dicit, eis qui audiunt.

10 Offensum & adversum, vel ei ipsi qui dicet, cui id quod in adversarium dicitur potest convenire: vt [miseri sunt qui vxores ducunt at tu duxisti alteram] vel auditoribus quorum voluntatem lædit vt si quis ea vituperat quæ auditores vel cupiunt vel fecerunt, & aut partes eas quibus illi student aut homines quos charos habent lædantur: vt [Si quis apud Philisophos in philosophiam, coram Alexandro Macedone Contra vrbium expugnatores dissereret] vel deniq; quod ipsi causæ officit aliqua ex parte: vt [Si quis militibus ad pugnam hortatis hostium vires & copias laudet] Quo refer vitium cum id quod dicitur in aliam partem accipi potest, vt si potens & factiosus dixerit [Satius esse vti regibus quam malis legibus] ob potentiam atrocem excitabit suspitionem.

11 Inconstans, quod ab eodem de eadem re diverse dicitur.

12 Male accommodatum, quod plura pollicitus pauciora demonstret, aut cum totum debuerit ostendere de parte loquitur vel è contra, quod extra rem dicat, neq; id de quo accusatur defendat vt si laudet sapientiam cum defenderet musicam, quod rem ex hominis vitio vituperet: quod rem cum re ita Comparet vt alteram non putat se laudare nisi alteram vituperabit, aut alteram ita laudet vt alterius non faciat mentionem.

CAP. 5.

De Conclusione.

REstat vltimo loco Conclusio seu peroratio (ἐπίλογος) quæ est exitus & determinatio totius orationis. Partes habet tres.

1 *Enumerationem* per quam confuse & dispersè dicta vnum in locum coguntur, & reminiscendi causa, vnum sub aspectum subijciuntur. Hæc pars varie tractanda est

ad

ad vitandam ſuſpitionem artificij, & ſatietatem: itaq; orator vnamquamq; rem & argumentationem breviter attinget, vel ſeparatim ſuam ſolum recenſendo, vel coniunctim adverſariorum argumenta & eorum ſolutiones ſimul afferendo, quod artificioſius eſt. Sed id curæ habeat vt in repetitione ea quæ ſint graviſſima eligat & omnia quam breviſſime tranſeat, vt memoria redintegrata, non oratio renovata videatur.

2 *Indignationem* ſeu Amplificationem quæ in peroratione maxime dominatur, vt oſtenſa rei magnitudine magnum odium in hominem aliquem aut in rem gravis offenſio concitetur. Hoc fiet ſi doceatur.

1 Quanta cura res ea fuerit, vel deo, vt ex oraculis prodigijs reſponſis, & apparet, vel hominibus quorum authoritas graviſſima eſſe debet, vt maioribus noſtris, regibus, Civitatibus gentibus hominibus ſapientiſſimis, ſenatui populo legum ſcriptoribus.

2 Ad quos pertineat iſta res vt inde Conſtet.

Rei { Atrocitas ſi ad omnes vel partē maiorem indignitas ſi ad ſuperiores iniquitas ſi ad pares. hominis ſuperbia ſi ad inferiores. } Spectet.

3 Quid ſit eventurum ſi cæteri faciant, eſſe autem multos eiuſdem audaciæ æmulos qui expectant quid ea de re ſtatuatur.

4 Factum hoc eſſe conſulto, & de induſtria, imprudentiæ nonnunquam, ſed voluntario maleficio veniam concedi non oportere.

5 Factum eſſe tetrum, Crudele nefarium, tyrannicum, per vim & manum opulentam eſſe atrocius & gravius alijs peccatis: & hoc docebitur omnes negotij circūſtantias clare & ante oculos ponendo, cum indignatione & criminatione.

6 Factum eſſe, haud vulgare ſed eiuſmodi, vt ne ab audaciſſimis & barbaris hominibus aut immanibus beſtijs

ſtijs ſimile ſit factitatum, Cuiuſmodi ſunt quæ admittuntur in parentes, liberos, coniuges, conſanguineos, ſupplices, maiores natu, hoſpites vicinos Amicos, ſodales, Nutritios præceptores, mortuos miſeros aut miſericordia dignos, homines claros nobiles & honore vſos. Eos qui nec alium lædere nec ſe defendere potuerant, vt pueros, ſenes, mulieres.

7 Ab eo eſſe factum à quo minime oporteret, a quo ſi alius faceret prohiberi conveniret.

8 Nobis (quod indignamur) hoc primis accidiſſe nec alicui vnquam vſu eveniſſe.

9 Non ſolum injuria ſed cum contumelia factum eſſe; vt ſuperbia hominis et arrogantia pateat.

10 Hæc etiam inimicis & hoſtibus indigna videri.

3 *Conqueſtionem* ſeu *Commiſerationem* per quam auditoris miſericordia captatur. Quod fit ex diverſis locis.

1 A fortunæ vi et hominum infirmitate. Hic locus graviter et ſententioſe explicatus demittit animum hominis mitemq; reddit et miſericordem, cum in alieno malo ſuam infirmitatem conſiderabit.

2 A comparatione quibus in bonis fuerit quibus nunc in malis ſit, et quamdiu quibus etiam in incommodis, futurus ſit niſi cauſam obtineat, ita noſtrum fatum et fortunam conqueremur.

3 A deploratione vniuſcuiuſq; incommodi vt in filij morte pueritiæ delectationis amoris ſpei ſolatij educationis, &c. iactura, deploratio diſiunctionis.

4 Si res turpes illiberales & indignas ætate genere fortuna priſtino honore, beneficijſq; paſſum aut paſſurum eſſe.

5 Præter ſpem in miſerijs eſſe & cum aliquid expectarent non modo non adeptos eſſe ſed in ſummas miſerias incidiſſe.

6 Caſum ſimilem ad auditores convertat, & petat vt de ſe ſibiq; caris illum cum videant recondentur.

7 Aliquod factum quod non aut non factum eſſe quod

quod oportuerit, vt [non vidi non affui non post rem vocem audiui non extremum spiritum hausi] & (in inimicorum terra mortuus, insepultus ac feris vexatus iacuit.)

8 Ad mutas & expertes animi res orationem referre, domum vestem, &c. huiusmodi etiam in medium prolata valde commovent: vt fertur de pallio Cæsaris.

9 Nos male tractari ab eis a quibus minime conveniat ab amicis propinquis, quibus benefecerimus & à quibus indignum sit; vt servis, liberis, Clientibus, supplicibus.

10 Obsecrare auditores humili & supplici oratione vt misereantur & nos sub eorum potestate subijcere.

11 Nos non tam nostram quam eorum qui nobis chari esse debent sollicitudinem & miseriam Conqueri, vbi ostendendum est quid eis ex nostris calamitatibus acciderit.

12 Ostendere animum nostrum. 1 Clementem & in alios misericordem semper fuisse. 2 Amplum excelsum & patientem incommodorum esse et futurum. Nam sæpe virtus & magnificentia, in qua gravitas et authoritas est plus proficiet ad misericordiam commouendam quam humilitas & obsecratio.

Præceptum de conquæstione est vt Brevis sit atq; vt Commotis animis auditorum, statim peroremus: Nihil enim lachryma citius arescit præsertim in alienis malis.

CAP. 6.

De speciali dispositione in tribus causarum generibus.

HActenus generalis dispositionis ratio sequitur specialis respectu singularum causarum. De qua omnia quæ traduntur præcepta recensere, ingens & inutilis labor esset. Hæc igitur annotasse sufficiat in genere iudiciali omnes istas

partes reperiri quam fieri poteſt exactiſſimas: illud enim genus omnis artificij maxime capax eſt.

In genere demonſtrativo, exordia quadruplici ex loco ſumuntur Perſona oratoris, Auditoris, Eius qui laudatur, rei ipſius laudatæ. Narratio ſeorſim nulla eſt ſed cum laude & vituperio iuncta per totam orationem. Partitiones, Amplificationes & Concluſiones res ipſa ſuppeditabit.

In deliberativo exordia brevia eſſe debent, non enim ſupplex vt ad iudicem venit Orator, ſed hortator & auctor. Et præterea ipſa re attenti ſunt qui ad iudicandum veniunt. Totaq; oratio gravis & ſimplex, ſententijſque quam verbis ornatior eſſe debet, verum ars generalia præcepta tradidiſſe contenta eſt, particularia relinquit artificis ingenio.

FINIS.

BRITISH 21 OC 89 MUSEUM